



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Socratis Scholastici Historiae Ecclesiasticae, Liber Primus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

# SOCRATIS

## SCHOLASTICI HI-

### STORIAE ECCLE- SIASTICAE,

#### Liber Primus.

*Libri Proœmium, & quomodo Constantinus  
Imperator ad Christianam fidem se  
contulerit. CAP. I.*



ES in Ecclesia gestas, Eusebius cognomento Pamphilus decem omnino libris complexus, Historiam, ad tempora solum Constantini Imperatoris deduxit. Quibus quidem temporibus persecutionis flamma, quam Diocletianus contra Christianos incenderat, restincta est. Vitam etiam

Constantini idem Author literis mandans, Arii facta leuiter admodum perstrinxit: quãdoquidem Imperatoris illius virtutes prædicare, atque adeo orationem, qua illum egregie laudaret, maiestate verborum exquisite illustratam, componere magis animo connitebatur, quàm res gestas accurate explicare. Nos igitur, quoniam apud animum proposuimus scriptis proderè ea, quæ ab illo tempore hætenus in ecclesia gesta accepimus, ex illis rebus, à quibus ab eo desitum est scribere, nostri operis exordiũ capiemus: neque genus dicendi insolens altiùsve exaggeratum consecrari, sed solum ea, quæ vel inuenimus literarum monumentis tradita, vel ab illis, qui eadem ipsa oculis viderint, audiimus, perspicue exponere animus est. Ac quoniam ad id, quod est nobis propositum, non parum adiumenti afferre videtur, si qua ratione Constantinus Imperator ad fidem Christianam se cõtulerit, commemoremus, de eo pro virili parte pauca dicemus, indeq; sermonis nostri sumemus initium.

SOCRATIS HISTORIAE

tium. Cum Diocletianus, & Maximianus cognomēto Hercu-  
 lius, consensu quodam animorum inter ipsos, deposuif-  
 sent Imperium, priuatumq; viuendi genus sibi delegissent,  
 & Maximianus, qui Galerius etiam dictus est, vnaque cum  
 illis regnauerat, profectus in Italiam, duos designasset Cæ-  
 sares, Maximinum, quem Orienti, & Seuerum, quem Italiae  
 præfecit, Constantinus, vt patri Constantio (qui primo an-  
 no ducentesima septuagesima primæ Olympiadis, octauo  
 Calend. Augusti mortem obiit) succederet, Imperator in  
 Britannia est palam declaratus. Romæ autem militum præ-  
 torianorum suffragiis Maxentius filius Maximiani Hercu-  
 lii, non ad gerendum imperium, sed ad tyrannidem potius  
 exercendam elatus est. His rebus ita comparatis, Hercu-  
 lius dominandi libidine denuo inflammatus, Filium Ma-  
 xentium è medio tollere aggreditur. Cæterum milites, quo  
 minus hoc efficeret, illi fuere impedimento. Postea verò  
 Tarfi, quæ est vrbs Ciliciæ, è vita migravit. Cæsar autem  
 Seuerus, qui Romam ad capiendum Maxentium erat à Ga-  
 lerio Maximiano missus, proditus à militibus, interfectus  
 est. Ad extremum Maximianus Galerius summam rerum  
 iam administrans, vt primum Licinnium, qui è Dacia ori-  
 undus, & societate militari iam pridem, & magna neces-  
 situdine fuerat cum eo coniunctus, Imperatorem creauisset,  
 morte occubuit. Maxentius interea, Romanos misere af-  
 fligit opprimitque: se tyrannum, non Imperatorem erga il-  
 los declarat: longe extra verecundia: fines egrediens, homi-  
 num ingenuorum vxoribus stuprum infert: multos neci-  
 dat: alia denique flagitia his similia designat. De quibus  
 rebus Constantinus Imperator certior factus, omni cura &  
 cogitatione sibi incumbendum statuit, vti Romanos serui-  
 tutis iugo oppressos in libertatem vindicaret: ac statim se-  
 cum consilium inire cœpit, quo pacto tyranno vitam adi-  
 meret. Et dum in ista cogitatione versabatur, considerauit  
 diligenter, quem Deum sibi adiutorem ad bellum geren-  
 dum inuocaret. Venit namque illi in mentem Diocletia-  
 num, qui toto pectore, vt dicitur, in deorum gentilium cul-  
 tum incubuerat, nihil inde commodi cepisse: proq; cer-  
 to comperit, suum ipsius patrem Constantium, qui se ab il-  
 lorum deorum veneratione auocauerat, vitam multo bea-  
 tiorcm

tiorem traduxisse. Illi igitur in tam ancipiti deliberatione posito, & forte vna cum militibus iter nescio quo facienti, visio quædam, vt admirabilis spectatu, ita dictu plane incredibilis sese obtulit. Nam circiter meridiem, die aliquantulum iam in pomeridianum tempus inclinante, columnam lucis in cælo effigiem crucis radiis mire exprimentem vidit: in qua literæ inherant ista verba complectentes, **IN HOC VINCE.** Quod quidem signum iam visum sic imperatorem obstupescit, vt suis ipsius oculis prope modum diffidens, ab illis, qui vna aderant, sciscitatus sit, num ipsi etiam fuissent eiusdem visionis facti participes.

Quod cum vno ore omnes ad vnum affirmassent, fluctuans Imperatoris mens diuino illo & admirabili viso fuit admodum confirmata. Nocte vero sequenti, secundum quietem videt Christum, qui sic illum affatur: Crucis effigiem ad exemplar illius signi, quod tibi apparuerit, fabricare: eaque tanquam insigni quodam ad victoriam valde accommodato, contra hostes vttere. Huic ergo Christi oraculo obsequens, insigne crucis, quod adhuc custoditur in palatio, construendum curat. Quo fræctus, maiore cum animi alacritate ad res gerendas se confert. Ante portas vrbs Romæ circiter pontem Miluium cum hoste confligens, victoriam (Maxentius enim in flumen demersus interiit) perfacile consequitur. Septimus iam imperii sui agebatur annus, cum à Maxentio victoriam reportauit. His confectis rebus, dum Licinnius, qui cum illo in imperij administratione cõiunctus fuit, & vir sororis suæ Constantiæ, factus, in oriente degeret, Constantinus tam ampla beneficia à Deo adeptus ea officia, quibus ei, qui tam benignus in ipsum extiterat, gratias ageret, sedulo obire cœpit. Quæ huius generis fuere: Liberare à persecutione Christianos: eos, qui patria exulauerant, domum reuocare: oclusos in carcere, dimittere liberos: His, quorum bona publicata erant, fortunas restituere: dirutas Ecclesias denuo erigere. quæ quidem omnia valde propenso studio & voluntate transegit. Interea temporis Diocletianus qui imperio se abdicauerat, Salonij, quæ est ciuitas Dalmatiæ, decedit de vita.

A 2

Quomodo

## SOCRATIS HISTORIAE

*Quomodo Christianorū res cum Constantinus amplificaret, Licinnius qui in imperio cōsors erat, Christianos insectatus est, atq; hinc ortum esse inter illos bellum. CAP. II.*

**C**onstantinus verò Imperator, qui suas cogitationes in illis rebus, quæ ad Christi gloriam spectabant, penitus defixerat, omnia Christiani hominis ofîcia exequi cœpit: ædificare de integro ecolesias: eas magnificis & illustribus monumentis exornare: Gentilium delubra occludere, eaq; demoliri: statuas in illis erectas publicare. Verum Licinnius, qui consors eius in imperio erat, Gentiliumq; opinione, quod ad religionem attinebat, imbutus, graue odium in Christianos exercebat: Qui tamen si verebatur eos palam persequi, (metuebat enim Imperatorem Constantinum) tamen ex occulto plures adortus est. Tempore autè progrediente, illos aperte vexare aggreditur: quæ persecutionis procella quibusdam in locis (vbi enim commorabatur Licinnius, ibi solum ingruebat) duntaxat excitata est. Cæterum cum non in his solum, sed in aliis suis facinoribus tyranni partes ageret Licinnius, eaq; Constantinum cum rescuuisse, tum propterea grauiter succensere intelligeret, se de eisdem ei purgare maturat: assentari illi: amicitiam simulate cum eo iungere: se astringere iureiurando, nunquam quicquam se moliturum, in quo aliqua tyrannidis significatio existeret. Atque certe non iurauit solum, verum etiam peierauit. Nam neque animum deposuit exercendæ tyrannidis, neque in Christianos persecutionis tempestates concitare destitit. Lege enim interdixit episcopis, ne in cōgressum colloquiumq; cum gentilibus aliquando venirét: eo videlicet consilio, vt religio Christiana inter eos nulla ex parte propagaretur. Eodem temporis momento, de persecutione & creber hominum sermo fuit quodammodo & mirum silentium. Nam tacita erat verbis, re ipsa tamen omnibus patefacta: quandoquidem qui eius impetum subierant, tum corpore cruciatus intolerabiles, tū fortunis iniuriam non ferendam perpessi sunt. Vnde Constantino Imperatori bilem commouit non mediocrem. Itaque rupto  
simulata

simulatae inter ipsos amicitiae vinculo, capitali odio inter se dissiderunt. Non longo tempore post, bellum mutuo inter ipsos concitatur: atque multis praeliis terra marique commisis, tandem apud Chrysopolim urbem Bithyniae (id est uale Chalcedonis) Licinnius deuictus, Constantino se dedit. Eum igitur uiuum capit, tractat humanitus, tantumque abest, ut illum trucidaret, ut etiam iuberet urbem incolere Thessalonicam, seque ibi quiete & tranquille gerere. Qui quanquam ad aliquod temporis spatium conuiescit, tamen non multo post Barbaris quibusdam hominibus coactis, inflictam sibi cladem, iterata pugna, sarcire contendit. Constantinus ubi illud intellexit, eum occidi iubet. Cuius mandato homo est medio tollitur. Itaque rerum potitus Constantinus, Imperatorque & rex declaratus, ad religionem Christianam deinceps amplificandam, omnem curam & studium contulit. Neque illud uno modo laborauit, sed varia ac multiplici ratione praestare: Cuius opera, rebus Christianorum tranquilla pax allata est. Verum pacem illam bellum inter ipsos Christianos susceptum, extemplo subsequitur. At quale illud fuerit, undeque ortum, pro viribus deinceps explicabo.

*De Arii contra Alexandrum Episcopum contentione, & quod ex ea Ecclesiae dissentio nata sit, quodque Alexander Alexandria Episcopus Arium cum suis, presbyterij gradu abdicauerit.*  
CAP. III.

**A**lexandriae, post Petrum illius ecclesiae Episcopum, qui Diocletiano regnante, martyrio occubuerat, Achyllas capessit episcopatum. Quo mortuo, Alexander tempore pacis supra commemoratae, episcopus delectus est: qui animo securo & tranquillo vitam degenis, ecclesiam in unum conuocat. Et quodam tempore praesentibus presbyteris, qui sub ipso erant, reliquoque clero, curiosius aliquanto disserit & subtilius de sancta Trinitate, unitateque in Trinitate esse diuinitus philosophatur. Arius autem unus ex presbyterorum numero, qui erant sub Alexandro in eo gradu locati, vir dialecticarum argutiarum minime

## SOCRATIS HISTORIAE

ignarus, quoniam episcopum suspicabatur errorem Sabel-  
lij Afri voluisse de integro in ecclesiam introducere, con-  
tentionis studio incensus, ad opinionem, quæ Afri opinio-  
ni penitus erat contraria, deflectit: acerbe aspereque, ut vi-  
debatur, illis quæ ab Episcopo dicta erant, occurrit: affir-  
matque; si pater genuit filium, eum, qui genitus erat, suæ essen-  
tiæ habuisse principium: indeque perspicuum esse, tempus  
fuisse, quando non erat filius: necessarioque sequi eum ex ni-  
hilo essentiam habuisse. Cum ista noua quadam & inau-  
dita ratione conclusisset, complures ad quærendum de eis-  
dem incitauit: & ex scintilla perexigua ingens flamma in-  
censa est. Nam pestifera ista Labes ab Ecclesia Alexan-  
drina exorsa, per vniuersam Aegyptum, Lybiam, & superio-  
rem Thebaidem peruasit: quinetiam per reliquas prouin-  
cias, & ciuitates est passim peruagata. Et quanquam mul-  
ti alii peruersa Arii opinione & errore implicati teneban-  
tur, Eusebius tamen (non Cæsariensis ille, sed alter, qui  
antea fuerat ecclesiæ Berytensis episcopus, Id temporis au-  
tem ad episcopatum Nicomediæ, vrbis Bithyniæ callide  
arrepserat) illi cum primis mordicus adhæsit. Quæ cum  
accepisset Alexander, resque gestas oculis cerneret, iracun-  
dia cœpit exardescere: ac concilio multorum episcoporum  
conuocato, Arium, & eius opinionis fautores, presbyterij  
gradu abdicat: qua de re ad episcopos cuiusque ciuitatis  
scripsit ad hunc modum.

### *Epistola Alexandri, Episcopi Alexandria.*

*Charissimis honoratissimisque, fratribus, qui vbi que  
gentium sunt nobiscum in Ecclesiæ mi-  
nisterio coniuncti, S.*

Cum in sacris literis sit vnum corpus Ecclesiæ catho-  
licæ, nobis traditum, & præceptum, ut concordia ac pa-  
cis vinculum firmum teneamus, consentaneum est, uti per  
literas colloquamur inter nos, alii que alios mutuo de re-  
bus, quæ apud singulos geruntur, certiores faciamus, quo  
sive vnum ex membris patitur, sive lætatur, nos inter nos  
vel patiamur vna, vel vna lætemur. In nostra quidem  
pro-

, prouincia prodierunt iam viri , qui leges rescindunt ,  
 , Christum ipsum impugnant , animos hominum ad defe-  
 , ctionem ( quæ quidem prænuntia & quasi præcursor An-  
 , tichristi non sine causa & existimari , & appellari possit )  
 , docere nituntur . Ac mihi certe in animo erat de illo  
 , facinore penitus reticuisse , vt eius labes , si quo modo  
 , fieri potuisset , inter illos solum , qui ab Ecclesia descii-  
 , uerant , deleri quiuisset , ne in alia loca euagata , simpli-  
 , cium quorundam oues suis sordibus inficeret . Verum  
 , quoniam Eusebius , qui nunc Nicomediæ Episcopus est ,  
 , quique totum Ecclesiæ statum in sua manu positam ar-  
 , bitratur , cum à nemine quod ecclesiam Beryti deserue-  
 , rit , quodque oculos cupiditatis atque ambitionis suæ ad  
 , episcopatum Ecclesiæ Nicomedensis obtinendum adie-  
 , cerit , in se animaduersum esse videat , istorum etiam , qui  
 , ab Ecclesia defecerunt , patrocinium suscipit , & ad om-  
 , nes , qui sunt vbique gentium , Literas scribere conatur ,  
 , eosque in eisdem commendat plurimum , quo imperi-  
 , tos quosdam in grauissimam hæresin , Christoque pe-  
 , nitus aduersariam rapiat , necesse habeo , idque senten-  
 , tia quadam , quæ in lege scripta est , inductus , silen-  
 , tium rumpere , remque vobis omnibus indicare , quo  
 , non modo eos , qui defecerunt à Christo , execrabi-  
 , liaque verba , quæ illorum hæresis vsurpat , cognosca-  
 , tis , verum etiam , si forte Eusebius literas scripserit , ad  
 , eas animos minime attendatis . Nam inueteratam suam  
 , malevolentiam silentio ad tempus obrutam , iam per i-  
 , stos renouare studet : & licet simulatione quadam præ-  
 , se ferat eorum causa literas scribere , re tamen ipsa de-  
 , clarat perspicue , se in rem suam serio istud ipsum a-  
 , gere . Qui autem defecerunt ab Ecclesia , sunt , Arius ,  
 , Achilles , AEithales , Carpones , Arius alter , Sarmat-  
 , es , Euzoius , Lucius , Iulianus , Menas , Helladius ,  
 , Gaius , Secundus item , & Theonas , qui dicti sunt o-  
 , lim episcopi . Quænam verò isti contra scripturas ex-  
 , cogitarint , temereque effutiuerint , Sic accipitote :  
 , Deum non semper patrem fuisse , sed tempus aliquan-  
 , do extitisse , cum Deus non esset pater : non ab æter-  
 , no Dei verbum fuisse , sed ex nihilo ortum esse .



SOCRATIS HISTORIAE

Nam Deum, qui est, eum, cum nō erat, ex eo, quod non est, procreasse: & propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset. Creatum enim & factum esse filium: neque essentia patri similem, neque natura verum patris sermonem, neque veram eius sapientiam esse, sed per abusionem verbum & sapientiam dici. Ipsum factum esse proprio Dei verbo, & sapientia, quæ in Deo est, per quam cum cætera omnia, tum illum ipsum fecit Deus. Et ob eam causam natura sua posse conuerti, & mutari, sicut animantia omnia ratione vtentia: Verbum esse peregrinum, alienum & seiunctum à sapientia Dei. Patrem à filio minime explicari posse. Nam filium neque patrem plene & accurate cognoscere, neque exquirere cernere posse. Etenim suam ipsius essentiam, Vt est, filium non percipere: quippe filium nostra causa factum esse, vt Deus per ipsum, tanquam per instrumentum nos crearet: neque extitisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset. Quæsitum est igitur ab illis, vtrum Dei sermo posset mutari, quemadmodum diabolus mutatus est: eos nō esse veritos respondere: certe potest. Cum enim & gigni & mutari possit, eius naturam posse mutari. Ario igitur & eius fautoribus, qui ista assentunt, & de eisdem tam impudenti ore loquuntur, vna cum illis, qui eius opinioni assentiuntur, Nos cum aliis fere centum Aegypti, & Lybiæ episcopis in vnū conuenientes, anathema denuntiauius. Cæterum Eusebius, eos ad se admittit, operamq; sedulo dat, vt mendacium cum veritate, & cum pietate impietatem commisceat. Verum ad hoc præstandum non satis habet viriū. Nam vincit veritas, & nulla est societas luci cum tenebris, nulla consensio Christo cum Belial. Quis enim vnquam talia audiuit? aut quis est, qui si iam audiret, non ea tanquam insolita & peregrina obstupesceret, auresq; obtureret, ne eiusmodi verborum sordes in audiendi sensum ilaberentur? Aut quis est, qui, cum Ioannem audiat dicentem: IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, Non istos condemnauerit dicentes: Erat tempus aliquando, cū non esset? Aut quis est, qui cum audiat in Euangelio: Vnigenitus filius, & per ipsum facta sunt omnia, non istos odio habuerit, asfirmantes filium vnā esse ex creaturis? Aut qui poterit ipse esse similis illarū rerum, quæ per ipsum factæ

Cap. 7.

factæ sunt? Aut quemadmodum vnigenitus, Si (vt illorū fert opinio) cum aliis rebus vniuersis numeretur? Aut quomodo ex nihilo factus est, cum pater dicat: Eructauit cor meum verbum bonum: & ex vtero ante Luciferum genui te? Aut qua ratione essentia patri dispar ac dissimilis, cum sit perfecta imago & splendor patris, cumq; ipse dicat: Qui vidit me, vidit & patrem? Aut quo pacto, si verbum & sapientia sit Dei filius, erat tempus aliquando, cum non esset? Nam perinde est, ac si diceret, Deum aliquando & sermone, & sapientia caruisse. Aut quo pacto conuerti mutariue potest, cum ita loquatur ipse de se: Ego in patre, & pater in me est: & ego & pater vnum sumus: & per prophetam etiā: Videte me, quod ego sum Deus, & non mutor? Et quamquam hoc dictum ad ipsum patrem referri potest, tamē aptius & magis proprie de filio verbo iam dicitur, quod, cum sit homo factus, non mutatus est, sed vt Apostolus ait: Iesus Christus heri & hodie idem ipse, & in secula. Quid igitur illos in hanc perduxit sententiam, eum scilicet propter nos factum esse, Cum tamen Paulus scribat: Propter quem omnia, & per quem omnia? Quod autem falso calumniati sunt, filium non plene & perfecte patrem nouisse, nemini mirum videri debet. Nam cum semel statuissent, contra Christum bellum gerere, reiecerunt penitus voces ipsius Domini dicentis: Sicut cognoscit me pater, & ego cognosco patrem. Quod si ex parte pater cognoscit filium, perspicuum est filium etiam ex parte patrem cognoscere. Verum si hoc dictu nefas est, & pater plene filium cognoscit, constat, quod sicut pater cognoscit suum ipsius verbum, sic & verbū suū ipsius patrem cognoscit, cuius est verbum. Cæterum quamquam ista recensendo, atq; adeo sacras & diuinas scripturas aperte explanando, eos sepe numero conuicimus: Tamen illi rursus, velut Chameleontes, sese mutabant, dictumque illud Sapientis in sua ipsorum capita torquere magnopere contendebant, videlicet impium, cum in profundum malorum venerit, cōtemnere. Ac tamen complures certe hæreses ante illorum ætatem exortæ erant, quæ quidem extramodum audacia euagatæ, ad extremam dementiam sunt tandem prolapsæ, Isti tamen, qui omni suo sermone verbi diuinitatem tollere nituntur, vtpote ad Antichristi tempora

*Psal. 44.*

*Psal. 109.*

*Ioan. 14.*

*Ioan. 14.*

*Ioan. 10*

*Malach. 3*

*Heb. 13.*

*1. Cor. 8.*

*Ioan. 10*

*Prou. 18.*

SOCRATIS HISTORIAE

propius accedentes, illas hæreses præ suorum errorum impietate iustas esse quodammodo declarant. Quapropter illis ecclesia interdictum est: atque adeo anathema denuntiatur. Et quamquam de eorum exitio permagnum animis dolorem capimus, & maxime, quod ecclesiæ instituta aliquando agnouerant, iamque ab illis exciderunt, de illis tamen non magnopere miramur. Idem namque nõ Hymenæo solum & Philetæ contigerat, sed Iudæ etiam ante illos, qui Seruatoris discipulus fuit, postea autem proditor & desertor illius factus. Atque istarum rerum neutiquam ignari extitimus. Dominus enim prædixerat, Videte ne quis vos seducat. Nam multi venient in nomine meo, dicentes: Ego sum: & tempus appropinquauit, & multos seducunt, ne eatis post illos. Paulus etiam cum ista à Seruatore didicisset, scripsit, quod nouissimis temporibus quidam deficerent à fide sana, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum veritatem auersantium. Iam vero, cum & Seruator noster Iesus Christus hoc præceperit, & per Apostolum de eiusmodi hominibus significarit, nos certe, quoniam illorum impietatem nostris ipsorum auribus accepimus, non sine causa eius generis hominibus, sicut ante diximus, Anathema denunciauimus, eosque ab ecclesia catholica, fideque alienos palam declatauimus: vestramque pietatem fecimus certiolem, charissimi & honoratissimi fratres, qui estis nobiscum in ecclesiæ ministerio coniuncti, vt si forte quidam ex illis temeritate impulsus, ad vos venire non vereantur, ne eos admittatis, neue Eusebio, vel alteri cuiquam, qui eorum causa ad vos scribat, omnino attendatis. Nam par est, vt nos, qui sumus Christiani, omnes, qui contra Christum loquantur, animoque sint ab eo abalienato, tanquam Dei hostes, & corruptores animorum deuitemus, Neque id genus hominibus, sicut præcepit beatus Ioannes, vel Aue dicamus, ne quando illorum peccatis communicemus. Salutate qui apud vos sunt, fratres: qui mecum sunt, vos itidem salutant. Cùm Alexander literas eiusmodi ad episcopos passim in singulis ciuitatibus scripsisset, latius propterea serpebat malum, quod hi, qui erant de illis literis certiores facti, contentionis, & discordiæ incendiis inter ipsos conflagrare cœperunt.

Nam

Mat. 24.

1. Tim. 4

Ioan. 1.

Nam alij literis suffragari, iisdemque subscribere, alij penitus aduersari. Maximè vero omnium Eusebius Nicomedensis episcopus ad dissensionem incitari, quod Alexander eius nomen suis literis grauius perstrinxerat.

Atque id temporis Eusebius plurimum poterat, quod tunc Nicomediæ (vbi Diocletianus paulo ante palatium ædificauerat) Imperator versabatur. Ob quam causam multi episcopi Eusebij paruere sententiæ: Is autem tamen ad Alexandrum literas scribere non destitit, vt controuersiam inter ipsos ortam missam faceret, Ariumque cum suis in ecclesiam reciperet, alios tamen, qui alias quasque ciuitates incolebant, cohortatus est, vt Alexandri voluntati prorsus refragarentur. Vnde tumultus ingens nusquam non concitatus est. Nam videre licebat, non modo ecclesiarum præsides maledicis, & contumeliosis verbis, alium ab alio vexatos: verum etiam populi multitudinem in duas partes diremptam. quarum altera in horum, altera in illorum sententiam inclinauit. Itaque res est eo sceleris & turpitudinis prolapsa, vt Christiana religio palam in ipsis theatris omnium irrisione luderetur. Ab his vero qui Alexandria habitabant, de summis religionis nostræ dogmatis iuueniliter, & non absque petulantia certatum est: ab eisdem ad reliquos cuiusque prouinciæ episcopos missa legatio. Isti in alterutram partem diuisi, non dissimilem contentionem excitarunt. Commiscebantur item Arianis Meletiani: qui non multo ante fuerant ab ecclesia segregati. Sed cuius generis fuerint isti, dicendum arbitror. Meletius ciuitatis cuiusdam in Aegypto episcopus à Petro Alexandria episcopo (qui regnate Diocletiano, mortè obierat martyrio) cū multis alijs de causis, tū maxime, quod tēpore persecutionis fidē inficiatus, idolis immolauerat, munere episcopatus abdicatus est. Qui cum esset abdicatus, compluresque haberet, qui erant ipsius dicto audientes, illis qui ab illo vsque tempore ad hodiernum diem in Aegypto Meletiani vocantur, ducem hæresis se præbuit: & cum nullam iustam excusationem causamue afferre posset, cur se ab ecclesia separasset, verbo tantummodo affirmauit, sibi esse factam iniuriam: Petrumque maledictis figere, conuitiisque lacerare cepit.

Verum

Verum ut primum Petrus per martyrium, persecutione saeuiente, mortem oppetiuerat, probra sua & contumelias in Achillam, qui Petro in illo episcopatu succedebat, transtulit: ac postea denuo in Alexandrum, qui mortuo Achilla, eum dignitatis gradum adeptus est. Ac dum hi in hoc disfidio, & dissensione versabantur, Interea quaestio de Ario habetur: Meletius cum suis Ario subsidio fuit, cumque illo vna contra Episcopum conspirauit. Caeterum quibus Arii opinio absurda videbatur, hi iudicium Alexandri de Ario datum approbarunt, rectamque & aequam sententiam contra eos, qui sic sentiebant, esse pronuntiatam existimarunt. At Eusebius Nicomedensis, & quotquot Arii opinionem amplexabantur, scripserunt ad Alexandrum, ut abdicationem, quae erat antegressa, abrogaret, eosque quibus erat communione fidelium interdictum, in ecclesiam denuo admitteret, Ipsos namque nullam peruersam malamve opinionem tenere. Sic igitur cum literae aduersariae ad Alexandrum Alexandriae Episcopum missae essent, vtriusque partis literae in vnum collectae sunt. Nam Arius, eas quae pro se faciebant, Alexander autem contrarias simul congescit. Ex quibus Arianorum, Eunomianorum & Macedonianorum sectae, quae hoc tempore vigere videntur, ansam ad suam doctrinam tuendam arripiunt. Etenim singuli propriae ac suae sectae epistolas, testium loco vsurpant.

*Quod Imperator Constantinus propter Ecclesiarum perturbationem sollicitus, Osum Hispanicum Alexandriam miserit, Episcopum & Arium ad concordiam inuitans.*

## CAP. IIII.

**D**E his rebus cum certior factus esset Imperator, incredibilem animo hausit dolorem, perturbationemque illam, suam ipsius calamitatem esse censuit. Exemplo igitur illud discordiae incendium, quo inter ipsos exardescebant, restinguere serio aggreditur: Literasque per virum spectatum & fidelem Osum nomine, Episcopum Cordubae, quae est ciuitas Hispaniae (Hunc enim Imperator sin-

tor singulari amore complexus est, & honore summo profecutus) ad Alexandrum & Arium mittit. Quarum literarum partem aliquam (Sunt namque integræ in libros Eusebii de vita Constantini illigatæ) hoc loco citare non incommodum existimaui.

*Victor Constantinus, Maximus, August.*  
*Alexandro, & Ario, S.*

Inde præsentis controuersiæ fundamentum iactum intelligo, quod tu Alexander, à presbyteris de loco quodam in sacris literis scripto quærebas, Imo vero de inani quadâ quæstionis particula sciscitabar, quid quisque illorum sentiret: tuque Arie istud, quod neque initio animo complecti, aut cum fuisses complexus, silentio præteriisse debebas, inconsiderate effutiisti. Vnde discordia inter vos concitata, tum conuentus qui in ecclesia fieri solet, impeditus, tum populus sanctissimus varie in vtramque partem distractus, & ex consentiente totius corporis ecclesiæ quasi compage diuulsus est. Proinde vterque vestrum vicissim veniam alteri tribuens, illud approbet, ad quod vester conseruus vos non sine causa cohortatur. At quid istud est? vt de rebus eiusmodi nec omnino rogetis, nec ad rogatum respondeatis. Tales enim quæstiones, quales nulla lex canonice Ecclesiasticus necessario præscribit, sed inanis dissoluti otij certatio proponit, licet ad ingenij acumen exercendum instituantur, tamen interiore mentis cogitatione continere debemus, & neque in publicos populi conuentus temere efferre, neque vulgi auribus inconsulto concedere. Quotus enim quisque est, qui rerum tam grauium, tantaque obscuritate inuolutarum vim, vel satis accurate peruidere, vel pro dignitate explicare valeat? Quod si quisquam sit, qui istud se facile efficere & consequi posse confidat, quanta quæso est illa multitudinis pars, quam possit efficere, vt idem ipsum intelligat? Aut quis tandem est, qui in curiosa quæstionum eiusmodi peruestigatione, extra prolapsionis periculum possit consistere? Quocirca in talibus rebus loquacitas coercenda est, ne vel cum nos præ nostri ingenij imbecillitate, quod propositum est, explanare

planare

## SOCRATIS HISTORIAE

platiare non possumus, vel cum auditores inter docendum, præ intelligentiæ tarditate ad accuratam sermonis instituti, compræhensionem peruenire non queant, ex re alterutra, populus aut in blasphemiam, aut in dissensionis necessitatem, incurrat. Quare & interrogatio temeraria, & inconsulta, responsio veniam vtrique vestrum ab altero vicissim impetrare debet. Neque enim de summo in sacris literis præcepto vobis ansa ad digladiandum oblata est, neque nouus, vllus de religione diuina introductus error, sed vnam eandemque de fide tenetis sententiam, Ita vt ad ipsum communionis consensum facile possitis venire. Nam non est profecto consentaneum, vt propter vestram mutuo de adeo paruis exiguisque rebus concertationem, tanta populi Dei multitudo vestra inscitia ad dissensionem rapiatur. Imo vero non modo non est consentaneum, sed omnino nefas esse existimatur. Verum, vt rem breuiter exemplo quodam animis vestris mecum recognoscatis, dicam. Non vos præterit, opinor, philosophos ipsos vnus quidem disciplinæ professione omnes inter se consentire, sæpe tamen in aliqua parte opinionum, quas asseueratione affirmant, discrepare solere: qui licet disciplinæ causa, quam quisque illorum tuetur, dissentiant, tamen ob professionem, qua conspirare videntur, denuo inter ipsos in gratiam redeunt. Quod si ita se res habet, quid est cur non sit multo convenientius, vt nos qui famuli præpotentis Dei constituti sumus, propter ipsum religionis institutum, quod profiteamur, consentientibus animis inter nos ipsos concordemus. Cæterum accuratiore cogitatione consideremus, & mente attentiore, hoc quod iam à me dicitur, circumspiciamus, num recte se habeat, vt propter leues, & inanes verborum contentiones fratres fratribus reluctentur, & eximia concordia, impia similitate per nos, qui de rebus tam exiguis, minimeque necessariis inter nos confligimus, misere discerpatur. Popularia quidem sunt ista, & puerili inscitiam magis, quam sacerdotum, & prudentium hominum sapientiæ congruentia. Nostra sponte igitur tentationes diabolicas euitemus. Et quoniam Deus noster Optimus Maximus, conseruator omnium, communem suæ gratiæ lucem omnibus porrexit.

Idcirco mihi  
eius

, eius famulo, quæso, per vos liceat, vt illius prouidentia  
 , subsidio adiutus, meum conatum fœliciter ad exitum per-  
 , ducam: atque etiam vt ipsius populum, tum verbis compel-  
 , lando, tum ministerium diligenter erga eum præstado, tum  
 , acriter admonendo, ad mutuam concordiam traducam.

, Et cum vt dixi, vna sit vobis fides, vna professionis con-  
 , sensio, vnum denique legis ac disciplinæ institutum, quod  
 , quidem cum suis partibus vniuersum ecclesiæ corpus, con-  
 , sentiente animorum cõcordia & proposito, deuincit, istud,  
 , quod iuter vos non mediocrem contentionem excitauit,  
 , quoniam nullam rem grauẽ in totius nostræ religionis quasi  
 , ambitu comprẽhensam attingit, non est cur disunctionem  
 , aliquam animorum, aut discordiam inter vos pariat. Atque  
 , hæc dico, non vt cogam vos in hac leuicula & stulta quæ-  
 , stione, qualiscunq; tandem illa fuerit, penitus eandem sen-  
 , tentiam sequi. Ac tametsi vos inter vos vicissim de re qua-  
 , piam minimi momenti dissentitis, (Siquidem neq; omnes  
 , de omnibus rebus idem sentimus, neq; vna eademq; in no-  
 , bis indoles, aut mens versatur) nihilominus tamen fieri po-  
 , terit, vt eximia Concordia sincere inter vos integreq; serue-  
 , tur, & vna inter omnes communio & consociatio custodia-  
 , tur. Verum de diuina prouidentia vna sit vobis omnino  
 , fides, vnus animorum consensus, vna de Deo sententia. At  
 , quæ de leuissimis istis quæstionibus inter vos argute & sub-  
 , tiliter exquiritis, licet non in eandem sententiam tanquam  
 , pedibus eatis, ea tamen intra cogitationis vestræ quasi fines  
 , continere debetis, intimo mentis domicilio recondita.

, Communis autem amicitia bonum, vera fides, reuerentia  
 , erga Deum, & legis obseruationem, stabilis firmaque apud  
 , vos maneat. Redite in gratiam, & mutuam inter vos ne-  
 , cessitudinem colite, vniuersoque populo suos mutuos  
 , complexus reddite: atque vestris ipsorum animis conten-  
 , tionis labe purgatis, iterum amicè, ac beneuolè ipsi alter  
 , alterum excipite. Nam sæpenumero post inimicitias depo-  
 , sitas, amicitia iterum reconciliata plus solet habere iucundita-  
 , tis. Date igitur mihi dies tranquillos, & noctes curæ ac mo-  
 , lestiarum expertes, vt voluptas, quæ ex sincera cõcordia luce  
 , & vita quieta capi solet, mihi integra in posterum cõseruetur.

, Quod quidem si minus contingat, necesse est ingemiscere,  
 , lachrymis



SOCRATIS HISTORIAE

Lachrymis & mœrore omnino confici: nec fieri certe potest, vt vitæ cursum de reliquo tranquillè & sedatè tranfigam. Nam quamdiu Dei populus (eum dico, qui communi mecum eiga Deum obsequio fungitur) tam iniqua perniciofaque contentione ab fe mutuo difsidet, quomodo fieri potest, vt ipse deinceps animo tranquillo confiftam. Atque vt incredibilem huius doloris morfum intelligatis, fic accipite. Non ita pridem ad Nicomedenfium ciuitatem aduentans, extemplo iter verfus orientem mature facere conftituebam. Ac me quidem ad vos citato gradu properantem, cum maiorem itineris partem confeciffem, vt iam prope vobifcum effe viderer. Huius rei nuntius in contrariam cogitationem compulit, ne oculis ea videre cogerer, quæ ne auribus quidem tolerare me poffe planè exiftimabam, De reliquo igitur veftra concordia patefacite mihi ad orientem aditum, quem vos veftris difidiis vltro citroque feruentibus interclufiftis: & efficite breui, vt cum vos pariter, tum reliquum vniuerfum populum læticia gæftientem cernam, & omnes vna pro communi omnium concordia, & libertate confentientibus laudis præconiis debitas gratias Deo Opt. Max. agamus.

*De Synodo in Bithynia apud Nicaam habita, ac de fide qua ibidem edita erat.*

CAPVT V.

Quamquam Imperatoris epiftola ad res cum admirationis, tum fapientiaè plenas eos adhortata eft: tamen difcordiaè malum adeo fe firmauerat, vt nec Imperatoris follicitudine, nec authoritate illius, qui literas attulerat, vlla ex parte frangi, reprimiq; poffet. Nam præterquam quod literaè Imperatoris, neque Alexandri, neque Arij animum mitigare ac mollire poterant, in ipfo populo præterea ingens contentio & tumultus erat: quem quidem alia diffidij lues in certa folum loca euagata anteccefferat: quæ fane tranquillum Ecclefiarum ftatum magnopere perturbauit: diffenfio videlicet de tempore fefti pafchatis celebrandi exorta. Quæ per orientis partes folummodo peruadebat, dum alij ibi feftum illud more Iudæorum celebrandum effe

cont en-

contendebant: alij autem Christianorum vbiq; per orbem  
 terrarum diffusorum consuetudinem in ea re prorsus imi-  
 tandam censebant. Et dum ita de festo digladiantur, licet  
 communionem inter ipsos vti minime recusarent, festum ta-  
 men acerba animorum dissensione peragunt. Cum igitur  
 Imperator videret his duabus contentione tempestatibus  
 ecclesiam vehementer iactari, generale concilium conuo-  
 cat: atque episcopos vndiq; per literas accersit, vt Nicæam  
 urbem Bithiniæ se conferant. Itaque permulti certe epis-  
 copi, ex multis prouincijs & ciuitatibus eo aduentant: de  
 quibus Eusebius cognomento Pamphilus in tertio libro  
 de vita Constantini, ista ad verbum scribit. Ex omnibus  
 ecclesijs, quæ frequentes vniuersam Europam, Lybiam, &  
 Asiam occupabāt, Dei ministri, qui facilè primas ferre pu-  
 tabantur, in vnum conuocantur, vna etiam ædes sacra, ve-  
 lut Dei nutu adaucta intra parietes suos Syros pariter, &  
 Cilices: Phœnices, Arabes, & Palæstinos: Aegyptios por-  
 ro, Thebanos, Afros, aliosq; ex Mesopotamia profectos,  
 recipit. Adest item in conuentu, Persidis episcopus: nec  
 ab hoc choro abfuit Scythia. Pontus item, Galatia, Pam-  
 philia, Cappadocia, Asia, & Phrygia, viros apud se lectissi-  
 mos suppeditarunt. Quinetiā Thraces, Macedones, Achæi,  
 Epirotæ, & quorum domicilia lōgissimo inde locorum in-  
 teruallo aberant, eo aduentarūt. Ex ipsis Hispanis, vnus no-  
 minis & famæ celebritate insignis cum alijs multis in con-  
 fessu illo adfuit. Urbis vero illius, penes quam imperium  
 est, episcopus, ingrauescente ætate præpeditus, abfuit. Sed  
 eius presbyteri, qui aderant, eius locum suppleuere. Talem  
 coronam solū ex omni præteritæ ætatis memoria vnus Im-  
 perator Constantinus pacis vinculo ad Christi gloriam col-  
 ligauit: & quo Seruatori suo gratias ageret, istud eximium  
 pro victoria ab hostibus parta trophæum obrulit, effigie  
 Chori apostolici pulchrè in hoc nostro conuentu expressa. *Att. i.*  
 Nam dicitur in sacris literis, illorum temporibus viros pios  
 ex omni natione, quæ sub cælo est, in vnum conuenisse. In-  
 ter quos erant, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui incolunt Me-  
 sotopotamiam, Iudæam, & Cappadocæam, Pontum & Asiam,  
 Phrygiam & Pamphiliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ  
 est circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi & Profelyti,  
 Cretes

## SOCRATIS HISTORIAE

Cretes & Arabes. Verùm illis hoc defuit, quod omnes, qui  
 eo conuenerant, ex Dei sacerdotum & ministrorum nume-  
 ro non erant: sed in hoc præfenti Choro fuit episcoporum,  
 multitudo ad numerum trecentorum & amplius: Presbyte-  
 rorum autem, Diaconorum, Acoluthorum, & aliorum, qui  
 istos comitabantur, turba ne enumerari quidem potest.  
 Atq; ex his Dei ministris alij prudenter & diserte dicendo,  
 alij vitæ grauitate, & constanti rerum arduarū perpessione,  
 nonnulli quasi media inter istos interiecta viuendi ratione  
 eximij, præclara laudis insignia adepti sunt. Erant inter hos  
 etiam non pauci, qui propter longinquum temporis spatiū,  
 quo vixerant, multum honoris & gloriæ collegerunt: Alij,  
 qui in ipso ætatis flore propter ingeniorum acumen, sunt  
 magnum splendorem consecuti. Quidam modo in mini-  
 sterij, quasi cursum ingressi sunt. Quibus quidē vniuersis ci-  
 baria in singulos dies Imperator large, & liberaliter suppe-  
 ditari præcepit. Atque Eusebius de illis, qui ibi in vnum,  
 conuenerant, hæc hæctenus. Imperator festo, quod ob vi-  
 ctoriam contra Licinium partam celebrabat, peracto, Ni-  
 cæam concessit. Inter episcopos, qui aderant, Panphuntius  
 superioris Thebaidis episcopus, & Spyridion episcopus  
 Cypri, plurimum excelluere. Verùm cur istorum mentio-  
 nem fecerim, dicam equidem postea. Aderant etiā vna laici  
 complures differendi scientia valde periti: qui erant ad pa-  
 trocinium alterutrius partis suscipiendum parati. Caterum  
 Arii opinionem Eusebius Nicomedensis, vt supra dixi, &  
 Theognis, & Maris propugnarunt: quorum Theognis Ni-  
 cææ episcopus fuit, Maris autem Chalcedonis, vrbis Bythi-  
 niæ. Contra istos Athanasius, diaconus ecclesiæ Alexandri-  
 nę, strenue pugnavit. Istū Alexander Episcopus in magno  
 admodum honore habuit: & propterea (sicut post à me di-  
 cetur) grauis inuidia contra illum conflata est. Paulo ante,  
 quàm Episcopi in vnum locum conuenerant, dialectici in  
 quibusdam disputandi tanquam prolusionibus, aduersus  
 plerisque se exercuerunt. Ac cum nonnulli quasi illecebris  
 ad differendum traherentur, laicus quidam ex cōfessorum  
 numero, simplici, ac sincero animo præditus, cū dialecticis  
 illis congregitur, sicque contra illos verba facit: Christum  
 certe & Apostolos artem differendi neutiquam nobis tra-  
 didisse,

didisse, neque inanes fallacias, sed mentem apertam & simplicem, quæ fide & bonis operibus integra seruari solet.

Quæ cum dixisset, Cum alij omnes qui aderant, & cum admirati sunt, & illius approbauere sententiam: tum dialectici, vt primum sincerum veritatis sermonem audiuerant, æquo animo ac placido conquievere. Sic igitur tumultus ille ex differendi facultate concitatus, tandem pœnitus repressus est. Postridie Episcopi omnes in vnū locū conueniunt: post illos accedit Imperator. Simulatque aduentauit, in media turba erectus, consistit, nec prius assidere voluit, quàm episcopi, vt ita faceret, innuissent: tãta enim reuerentia & pudor Imperatoris animo erga illos viros insedit. Sed postquam ab omnibus, vt temporis opportunitas postulabat, factum erat silentium, imperator ibi ex sella orationē hortatoriam habere cœpit, qua illos ad consensionē animorū & cōcordiam cōmoueret. Inq; ea consiliū dedit, vt quicquid offensionis menti cuiusquam privatim contra alterum resideret, prorsus deponeretur. Etenim cōplures eorū, alter alterū accusauerant, multosq; supplices libellos, pro se singuli pridie eius diei imperatori obtulerant. Ipse autem vt ad propositum negocium, quo de conuocati erant, se totos conuerterent, sedulo hortatus est, & libellos illos comburi iussit: istamq; solum adiecit sententiam: Christum præcepisse, vt qui veniam impetrare contendat, fratri ipse veniam det. De concordia demum & pace, vbi vberius disseruerat, deinceps de religionis nostræ dogmatis accuratius disquirendi, illorum arbitrio permisit potestatem: quemadmodum ab eodē Eusebio in tertio libro de vita Constantini commemoratum est: Cuius verba audire non erit nobis incommodum.

Sic ergo se habent. Cum multa essent ex vtraq; parte proposita, magnaq; controuersia in ipso disputationis ingressu concitata, imperator toleranter ac placide omnibus animū attendit: studio acri prolatas sententiās sensim excepit: Vicissim vtriq; disceptantiū parti opem tulit: eos magna cum cōtentione digladiantes paulatim reconciliauit: cum singulis comiter & benigne sermonem cōtulit: Græcè (nā ne huius quidem linguæ ignarus fuit) sensa sua dicendo expressit, suavis erat & dulcis, dum aliis persuadere, alios sermone lenire, alios, qui diserte dixissent, collaudare instituebat:

## SOCRATIS HISTORIAE

omnes denique ad concordiam eatenus reducere contendit, quoad eos in omnibus rebus, quæ in quæstionem aliquando venissent, tum conspirantes animis, tum opinionibus consentientes reddidisset: Ita ut non modo cõcors fides inter eos vigeret, sed etiam idem tempus salutaris festi Paschatis celebrandi ab omnibus concederetur. Iam vero, quæ communi omnium sententia decreta erant, cum cuiusque manu subscripta essent, rata habebantur, & in cõmentarios referebantur: Itaque sicut de his rebus ista commemoravit Eusebius, scriptisq; prodita posteritati reliquit: sic nos hoc loco non incommode eadem citauimus, imo vero eius verbis pro testibus vsi sumus, huicq; attexuimus historiæ, ut cum quidam forte Concilium in Nicæa habitum, perinde ac si in fide lapsum fuisset, condemnauerint, ne illis animum attendamus, neue Sabino Macedoniano credamus, qui viros ibi congregatos, imperitos, & rudes appellat. Nam iste Sabinus Macedonianorũ, qui Heracleam ciuitatem Thraciæ incolunt, episcopus, dum ea quæ varia Episcoporum Concilia scriptis ediderant, in vnũ volumen colligit Episcopos, qui Nicææ in vnum conuenerant, velut indoctos & ignaros rerum omnium, probris afficit: oblitus credo se ipsi Eusebio, qui sua probatione eadem fidem admodum confirmasset, tanquam illiterato obtrectauisse. Quinetiam nonnulla, dedita opera, prætermittit: quædam etiam peruertit: quæ autem ad eum exitum, quem sibi proposuerit, facere videbantur, omnia diligenter excerptit. Et quanquam Eusebium Pamphilum, tãquam testem, cui merito habeatur fides, laudat, præconiisq; effert Imperatorem, utpote, qui in institutis religionis Christianæ stabiliendis multum præstitisset, fidem tamen expositã in Concilio Nicæano, perinde atque ab imperitis, & omnino insciis traditam, grauius reprehendit: & quem sapientem nuncupat, & testem veracem, eiusdem testimonia de industria reijcit. Nam est apud Eusebium, ex Dei ministris, qui aderant, alios prudenter & diserte dicendo, alios vitæ grauitate excelluisse: Quinetiam Imperatorem coram, ad cõcordiam omnes reduxisse, effecisseq; ut non modo animorum, sed etiam opinionum consensione conspirarent. Verum de Sabino, si quod tempus ad eam rem opportunum inciderit, plura dicemus.

cemus. Consentiens autem de fide doctrina, quæ Nicææ ab amplissimo concilio quasi clara omnium voce diuulgata erat, Hæc est.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium visibilem & invisibilem creatorem: & in vnum dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum ex patre unigenitum, hoc est ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialē patri, per quē omnia facta sunt, & quæ in cælo sunt, & quæ in terra: qui propter nos homines, & propter nostrā salutem descendit, incarnatus est, homo factus est, passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad cælos, vēturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Qui vero dicunt, quod erat aliquando tempus, cum nō esset, antequam genitus erat, vel quod ex nihilo ortus sit, vel quod ex altera essentia, quā ex patris substantia genitus, vel quod filius Dei creatus sit, quodq; conuerti & mutari possit, istis Catholica & Apostolica Dei Ecclesia anathema denunciatur.

Hanc fidem approbarunt trecenti decem & octo Episcopi, eiq; omnes assensu sunt: & vti scriptum est apud Eusebium, consentientibus animis, opinionibusque eidem subscripserunt, quinque solum exceptis, qui hanc vocem ὁμοῶσιον, id est consubstantialē repudiarunt: Eusebio videlicet Nicomediæ episcopo, Theognide Nicææ, Mari Chalcedonis, Theona, Marmaricæ, Secundo Ptolomaidis. Nam ὁμοῶσιον, id est consubstantialē, esse illud affirmarunt, quod est ex aliqua re ortum, vel partitione, vel deriuatione, vel productione. Productione, vt ex radicibus, germē: Deriuatione, vt liberi ex parentibus. Partitione, vt duo aut tria auri talenta, ex massa aurea. At filium Dei ad nullum istorum posse referri: & propterea se minimē fidei illi in concilio Nycæno confirmatæ velle assentiri, dixerunt.

Proinde & vocem illam ὁμοῶσιον, id est consubstantialē vehementer irriferunt, & abdicationi Arii subscribere noluerunt. Ob quam causam consilium non solum Ario, & omnibus eius opinionis fautoribus, anathema denuntiavit, verumetiā vetuit, ne Alexādrīam ipse Arius omnino aduentaret. Edictum porro Imperatoris Arium, Eusebium, &

## SOCRATIS HISTORIAE

Theognidem in exilium ire mandauit. Vnde Eusebius, & Theognis paulo post, quàm exilio erant multati. Libellum quo se facti pœnituisse declararent, ediderūt, fideiq; de hac voce ὁμοσίου, id est consubstantiali constabilitæ consenserunt: sicut deinceps in sermone sequenti ostēdemus. Per idem tempus Eusebius cognomento Pamphilus, episcopus Cæsareæ Palæstinæ, in illo concilio, cum paulisper hæsitauisset, secumq; attenta cogitatione expendisset, num illam de fide decisionem deberet admittere, sic tandem vna cum reliquis vniuersis eam & approbavit, & subscriptione ratam fecit: & populo, cui ipse præerat, eandem scriptis proditam misit, vocemq; consubstātialem, illi interpretatus est, ne cuiusquam animo de ipso iniiceretur suspicio, quod in ea aliquantum hæsitauisset. Ista igitur ad verbum scripsit ad hunc modum. Etsi verisimile est, Fratres Charissimi, ea quæ de fide ecclesiastica in amplo & frequēti Concilio Nicææ coacto, tractata sunt, ad vos ante hac prolata esse, præsertim cum fama ipsa accuratam rerum gestarum narrationē sua celeritate superare soleat, tamen ne veritas, si auditione solum ea acceperitis, contra ac se habeat, vobis nuntietur, Primum eam fidei formulam, quæ à nobis concilio proposta est, deinde alterā, quam episcopi vbi nostris verbis pauca adiecerant, ediderunt, ad vos mittere, necesse putauimus. Nostra vero formula, quæ tum corā Imperatore nostro sanctissimo perlecta est, tum recte se habere pro certo explorata, ad hūc modum se habet. Sicut ab episcopis, qui nos antegressi sunt, accepimus, Sicut cum fidei fundamenta in nostris animis primum iacta essent, cumq; lauacro baptismatis abluti essemus, audiuius, sicut à diuinis scripturis didicimus, & sicut cum fungeremur presbyterio, & cum episcopatum obtineremus, credidimus & docuimus, sic etiam iam credentes, nostrā fidē vobis patefacimus: quæ eiusmodi est.

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, visibilium omnium & inuisibilium creatorem, & in vnum Dominum Iesum Christum, Dei verbum: Deum de Deo, lumen de lumine, vitam de vita, filium vnigenitum, primogenitū omnis creature, ante omnia secula ex Deo patre genitum, per quem etiam omnia facta sunt: qui propter nostram salutem incarnatus est, & inter homines versatus: qui

passus

passus est, & resurrexit tertia die: ascendit ad patrem, &  
 iterum venturus est iudicare viuos & mortuos. Credimus  
 etiam in vnum Spiritum sanctum. Et istorum quemq; esse,  
 & existere credimus: patrem verè patrem esse: filium verè  
 filium: & spiritum sanctum verè spiritum sanctum: sicut Do-  
 minus noster, cum discipulos suos ad prædicandum mitte-  
 ret, locutus est: Euntes, docete omnes gentes, baptizâtes eos *Matt. 28*  
 in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. De quibus confir-  
 mamus nos hoc animo esse, sicq; sentire, & sic etiam sensisse,  
 & ad mortem vsque sic sensuros esse, in hac perseveraturos  
 fide, Anathemate impię hæresi cuiq; denunciato. Atque de  
 istis rebus omnibus nos sincere & ex animo ita sensisse, ex  
 quo nosmet noscere poteramus, & iam etiam verè tum sen-  
 tire, tum dicere, Deum omnipotentem, & dominum nostrū  
 Iesum Christum coram testamur: certaque demonstratione  
 ostendere possumus, vobisq; ratione persuadere, nos tem-  
 poribus præteritis ita credidisse: & huic fidei à nobis expo-  
 sitæ congruentia prædicasse, neminemq; posse nobis in hac  
 re contradicere. Quinetiam Imperator noster sanctissimus  
 hanc nostram fidem, veritatem in se complecti primus om-  
 nium testificatus est: seque eodem animo esse constanter as-  
 seruit: præcepitq;, vt omnes eidem assentirentur, decretis  
 eiusdem subscriberent, congrueret cum eisdem, dummodo  
 vna vox, Cõsubstantialia videlicet, ascriberetur: quam qui-  
 dem ille ipse explicauit ad hunc modum: Cõsubstantialia  
 le, de corporis affectionibus non posse intelligi: neque fi-  
 lium Dei vel diuisione, vel defectione, vt ita dicam, ex pa-  
 tre constare. Nam non posse fieri, vt natura, quæ materiæ  
 expers est, quæ sola intelligentia percipitur, quæ corpore va-  
 cat, corpoream vllam affectionem in se excipiat: sed eius-  
 modi res nos diuinis, & arcanis verbis debere complecti.  
 Sapiētissimus quidem, & pius noster Imperator de his isto  
 modo philosophatus est. Episcopi autem propter hanc vo-  
 cem, Cõsubstantialiam, istam fidei formulam ediderunt.

*Fidei formula in Concilio ædita.*

Credimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, om-  
 nium visibilibus, & inuisibilibus creatorem: & in vnum



## SOCRATIS HISTORIAE

Dominum Iesum Christum, filium Dei, genitum ex patre, unigenitum, hoc est ex substantia patris: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit: incarnatus est: homo factus est: passus est: resurrexit tertia die: ascendit ad cælos: venturus est iudicare viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum. Qui vero dicunt, quod erat aliquando tepus, cum non esset, antequam genitus erat, vel quod ex nihilo ortus est, vel quod ex altera essentia substantiæ, quam ex patris genitus, vel quod filius Dei creatus, quodq; conuertere, & mutari potest, istis Catholica & Apostolica Dei Ecclesia anathema denunciatur. Cum ista formula ab illis præscripta esset, illud, ex substantia patris esse: & illud, patri consubstantialem esse, quo modo essent intelligenda, ab eis diligenter querere cœpimus. Vnde quæstiones & responsa nata sunt: rationeq; accurate peruestigatum, quæ illis verbis subiecta esset sententia. Fatebantur illi, ex substantia esse, idem significare, quod, ex patre esse: non tamen partem patris esse. Ista sane nobis videbantur pulchre consentire, cum piæ illius doctrinæ sententia, quæ docet filium ex patre esse, non tamen partem substantiæ illius esse. Quapropter huic sententiæ etiam à nobis assensum est: neque vocem Consubstantiale reiecimus, propterea quod pax, tanquam scopus ad intuendum, ante oculos nostros versabatur, & cautio erat à nobis adhibita, ne recta fidei sententia excideremus. Pari ratione, genitum, non factum approbauimus. Nam factum, verbum cum cæteris creaturis, quæ per filium factæ sunt, commune esse dixerunt: nec filium earum simile quicquam habere: ac propterea eum non esse creaturam illarum similem, quæ ab ipso factæ sunt, sed præstantioris esse substantiæ, quàm qua vlla creatura prædita sit: quam quidē ex patre genitam esse, sacrae literæ perdocent: quippe cū modus eius generationis à nulla mortali natura, vel verbis exprimi, vel cogitatione compræhendi possit. Eodem modo etiam illud, filium patri consubstantialem esse, ratione & exquisitum est, & probatum, non more corporeo debere intelligi, neque quicquam habere simile cum mortalibus ani-

man-

, mantibus. Nam neque diuisione substantiæ neq; defectio-  
 , ne, neque mutatione paternæ essentiæ & facultatis posse cõ-  
 , stare. Ingenitam enim patris naturam ab his omnibus pror-  
 , fus alienam esse: & hoc, patri consubstantialem esse, nihil a-  
 , liud ostendere, quàm filium Dei ad reliquas creaturas nul-  
 , lam habere similitudinem: Sed vnus patris qui illum ge-  
 , nuit, omnino similem esse: neq; ex alia, quàm ex patris sub-  
 , stantia, & essentia genitum. Quod quidem sic expositum,  
 , rectum videbatur assensione approbare. Nam nonnullos  
 , veteres épiscopos, & scriptores, viros sane disertos atque il-  
 , lustres, in patris & filii diuinitate explicanda, hoc verbo Cõ-  
 , substantiali vsos fuisse cognouimus. Sed de fide in Conci-  
 , lio Nicæno exposita & diuulgata hæc hæctenus: Cui quidé  
 , omnes ad vnum assensi sumus, non temere & inconsulto,  
 , sed secundum sententias coram ipso Sanctissimo Impera-  
 , tore propositas discussasq;, & communi omnium consensu  
 , propter causas, quæ supra commemoratæ sunt, approbatas.  
 , Quinetiam anathematis formulam, quæ post fidem expla-  
 , natam, ab illis proposita est, approbandâ quoq; putauimus:  
 , propterea quod vetet, ne quisquam vocibus a scriptura ab-  
 , horrentibus (ex quibus in ecclesias omnis fere confusio &  
 , discordia inuecta est) omnino vtatur. Etenim cum nulla  
 , scriptura diuinitus inspirata his vocibus vsa sit, filiũ Dei ex  
 , nihilo ortum esse, & tempus fuisse aliquando, cum non ef-  
 , fet, & quæ sequuntur in eandem sententiam, minime con-  
 , sentaneum videbatur, eas vel proferre, vel docere. Cui sen-  
 , tentiæ tam præclare contra ipsas decreta constitutaque nos  
 , consensimus: quandoquidem nunquam antehac eiusmodi  
 , verba vsurpare consueuimus. Ista ad vos, fratres charissimi,  
 , necessitate coacti misimus, non solum vti vobis decretum,  
 , quod nostram disquisitionem & assensionem secutum est,  
 , planum faceremus, verumetiam vt intelligeretis quod pri-  
 , mo dum ea quæ aliter ab aliis scripta erât animum nostrum  
 , offendere videbantur, in vna, eademque sententia (sicut ra-  
 , tio postulabat) ad extremam vsque horam perstitimus.  
 , Verum postea, facile sane, & sine vlla contentione ea, quæ  
 , nullam habebant offensionem, tum demum amplexati su-  
 , mus, cum nobis verborum sensum, & sententiam, æquis ani-  
 , mis disquirētibus, illa, quæ exposita erant, consentire vide-

SOCRATIS HISTORIAE

rentur cum his quæ in fidei formula ante proposita, à nobis concessa & probata fuerant. Ista Eusebius Pamphilus ad Cæsaream, quod est oppidum Palæstinæ, misit.

*Epistola Synodi, de rebus quas ipsa statuerat, & de Arij & eorum qui eandem cum eo tuebantur opinionem abdicatione.*

CAPVT VI.

**I**psum verò Concilium, communi consensu ad ecclesiam Alexandrinam, & ad Aegypti, Lybiæ, & Pentapolis incolas, hæc quæ sequuntur, conscripsit.

*Sanctæ eximiaq; Dei gratia Ecclesiæ Alexandrinae, & dilectis fratribus Aegyptum, Libyam, & Pentapolim incolentibus, Episcopi Nicææ coacti, & ad amplum, sanctumq; concilium conuocati in Domino Salutem.*

**Q**uoniam Dei gratia, & mandato sanctissimi Imperatoris Constantini, qui nos ex variis ciuitatibus & provinciis in vnum congregauit, magnum & sanctum Concilium Nicænum coactum est, necessarium videtur, vt à toto sacro concilio litteræ ad vos mittantur, ex quibus possitis intelligere, cum ea quæ in controuersiam adducta, & exquisitè disceptata sunt, tum quæ decreta, & constabillata. Primum impia & peruersa dogmata, Arij, eorumq; qui eius sectam sequuntur, coram sanctissimo Imperatore Constantino perquisita sunt: vnde placuit Concilio communibus suffragiis anathema denuntiare eius nefariæ opinioni, & verbis sententiisque execrabilibus, quibus vsus est ad filium Dei blasphemias afficiendum, nimirum eum ex nihilo ortum esse: nec fuisse antequam natus esset: fuisse tempus aliquando, cum non esset: filium Dei libera voluntate & arbitrio, vitij & virtutis capacem esse: creaturam esse: factum esse. Quibus omnibus sanctum Concilium indicit Anathema: imo verò ne pati quidem potest, vt vel impia eius opinio, vel insolens amentia, vel verba plena blasphemiarum ad aures ipsius perueniant. Quinetiam ea, quæ ad istum pertinent, quem exitum sint consecuta, omnino vos vel  
audi-

, audiuistis, vel saltem à nobis audietis, ne nos hominem, qui  
 , debitam mercedem suæ culpæ acceperit, temere & sine cau-  
 , sa infectari videamur. Eousque certe eius prorupit impie-  
 , tas, vt Theonam, Marmaricæ Episcopum, & Secūdum Pro-  
 , lemādis, ad exitium secum perduceret. Nam easdem cum  
 , illo pœnas ipsi luebant. Verum cum Aegyptus, non mo-  
 , do illa opinionis peruersitate, nequitia, & blasphemia, sed  
 , etiam certis hominibus, qui in populo vitam ante illud  
 , tempus, pacate & tranquille degente, seditionem & discor-  
 , diam concitare non veriti essent, Dei gratia penitus libe-  
 , rata esset, tamen adhuc pertinax inscitia tum Melitij, tum  
 , eorum, quibus honores ecclesiasticos detulerat, restabat:  
 , De qua re quid Concilium decreuerit, Fratres Charissimi,  
 , sic habetote. Concilium clemētius aliquanto in Melitium  
 , animatum (nam si accuratè in eum inquisitum fuisset, ni-  
 , hil certè commeruisset veniæ) decernit, vt in propria ac sua  
 , ciuitate remaneat, nullamque habeat potestatem, vel cui-  
 , quam manus imponendi, vel quenquam ad aliquod munus  
 , ecclesiasticum deligendi, vel in aliena regione ciuitatēve  
 , eius rei gratia commorandi, sed vt solum dignitatis, & of-  
 , ficij nomen retineat: Illi autem, qui ab eo presbyteri desi-  
 , gnati sunt, simulatque sanctiore ordinatione confirmati  
 , fuerint, hac conditione in Ecclesie communionem admit-  
 , tantur, nimirum vt Ecclesiasticæ dignitatis & ministerij  
 , gradum habeant illi quidem: sed tamen omnibus presby-  
 , teris in singulis prouinciis, & ecclesiis versantibus, qui  
 , sunt ab honoratissimo viro & Collega nostro Alexandro  
 , ordinati, sint omnino inferiores. Quinetiam vt nulla il-  
 , lis potestas sit eos ministros ecclesiæ designandi, qui ipso-  
 , rum probentur arbitrio, neque nominationem penes se ha-  
 , beant eorum, qui sint ad Ecclesiæ munera obeunda, deli-  
 , gendi, neque quicquam absq; consensu Episcoporum Ca-  
 , tholicæ & Apostolicæ ecclesiæ, qui sub ipso Alexandro sunt,  
 , omnino transigant. Hi autem qui Dei gratia, & vestris pre-  
 , cibus adiuti, ad nullum schisma deflexisse comperti sint, sed  
 , se intra Catholicæ & Apostolicæ ecclesiæ fines, ab erroris la-  
 , be vacuos continuerint, auctoritatem habeant, tū ministros  
 , ordinandi, tum eos, qui Clero digni fuerint, nominandi, tū  
 , deniq; oīa ex lege & instituto ecclesiastico libere exequēdi.

Quod

## SOCRATIS HISTORIAE

Quòd si quispiam forte eorum, qui Ecclesiæ funguntur mu-  
 neribus, diem suum obierit, tamen vnus ex illis, qui nuper  
 in ecclesiam asciti sunt, modo idoneus videatur, & popu-  
 lus illum eligat, episcopusque Alexandriae ei suffragetur,  
 atque adeo populi electionem confirmet, in locum succe-  
 dat demortui. Atque sit istud aliis quidem omnibus con-  
 cessum: de Melitio autem nominatim aliter decisum est, vt  
 videlicet cum propter insolentem audaciam, qua antea Ec-  
 clesiæ statum perturbauerit, tum propter temeritatem, & mé-  
 tis inscitiam, quam palam ostenderit, nulla potestas, autho-  
 ritásve ei tribuatur: quippe cum homo is sit, qui eandem  
 perturbationem in ecclesiam denuo possit inducere. Atq;  
 ista decreta ad Aegyptum, & sanctissimam ecclesiam Ale-  
 xandrinam proprie & separatim referuntur. Quod si aliud  
 præterea quippiam, dum honoratissimus dominus & Col-  
 lega, & frater noster Alexander vna adest, sancitum & sta-  
 tutum fuerit, Ipse vtpote qui rebus decisus cum præfuerit,  
 tum communicarit, vobis coram accuratius renuntiabit.  
 Quod autem ad omnium consensum de sacratissimo festo  
 Paschatis celebrando, attinet, scitote, quod vestris precibus  
 controuersia de ea re suscepta, prudenter & cõmode sedata  
 est: Ita vt omnes fratres, qui orientem incolunt, quiq; Iu-  
 daeorum consuetudinem ante in eo festo obseruando imi-  
 tari solent, iam Romanos, nos, & omnes vos, qui eundem mo-  
 rem, quem nos, in illo recolendo à primis temporibus te-  
 nuistis, sunt consentientibus animis in eodem celebrando  
 deinceps sedulo secuturi. Quocirca vos cum ex his rebus  
 tam prospere gestis, tum ex pace & concordia communiter  
 inter omnes constituta, tum denique quod omnes hæreses  
 quasi fibræ penitus excisæ sunt, lætitiâ capientes, maiore  
 honore, & amore ardentiore Alexandrum Collegam no-  
 strum, & vestrum Episcopum complectimini: Qui dum ad-  
 erat, nobis permagnæ voluptati fuit, permultumque laboris,  
 vt in ea ætate suscepit, quo Ecclesiæ vestræ statum ad tranquil-  
 litatem traduceret, Pro nobis omnibus etiam preces ad  
 Deum fundite, vt quæ rite constituta & decreta sint, ea ra-  
 ta, stabiliaq; permaneant, Dei patris omnipotentis, & Do-  
 mini nostri Iesu Christi auxilio, vnâ cum Spiritus sancti  
 gratia, cui gloria in secula seculorum, Amen.

Ex hac

Ex hac Concilii epistola planum fit, eos non solum Ario, & eius sectæ fautoribus, verumetiam verbis ipsius peruersæ opinionis anathema denuntiauisse: quin etiam de paschate inter ipsos consensisse: Melitium hæresis cuiusdam principem recepisse quidem, ei que dignitatis episcopalis retinendæ copiam dedisse: potestatem tamen illius muneris exequendi, ut Episcopus solet, prorsus ademisse. Qua de causa arbitrator Melitianos in Aegypto, ad hoc usque tempus ab ecclesia propterea separatos fuisse, quod Concilium omnem Melitio authoritatem abstulit. Intelligendum est præterea Arium, librum de sua ipsius opinione confecisse, quem Thalliam inscripsit. Est autem libri stilus & forma dicendi lasciuior paulo & dissolutior, Sotadeis Cantilenis, ceu carminibus persimilis. Quem librum id temporis Concilium etiam condemnauit. Neque Concilium solum de pace facta, ista scribenda curauit, verumetiam Imperator ipse per literas suas eadem Ecclesiæ Alexandrinæ significauit.

*Imperatoris Epistola.*

*Constantinus Augustus Catholicæ Alexandrinorum Ecclesiæ.*

**S**Aluete plurimum fratres Charissimi. Permagnum certe & singulare beneficiû à diuina prouidentia in nos collatum est, quod omni errore liberati, vnam eandemque fidem agnoscamus. Non est profecto diaboli insidiis contra nos intentatis de cætero quicquam loci relictum. Nam quicquid est per fraudem in nos molitus, illud funditus sublatum est: Diffensiones autem animorum, schismata, tumultus illos, & lethalia discordiarum, ut ita dicam, venena, veritatis splendor (iuxta Christi monitum) penitus obruit deleuitque. Vnum igitur Deum omnes, & nomine veneramur, & esse credimus. Ut autem istud Dei admonitione ad exitum perduceretur, magnam episcoporum turbam ad urbem Nicæam accersui: quibus cum ego (qui vnus ex vestrum numero sum, quique eidem obsequio vna vobiscum lubentissime meipsum totum addico) operam dedi, ut veritas diligenter inuestigaretur. Proinde omnia, quæ aut cõ-

trouersæ,

## SOCRATIS HISTORIAE

trouersæ aut dissensionis materiam præbere videbatur, accurate excussa & exagitata sunt. Quanta & quam execrabilia probra (O bone Deus, sis nobis clemens & misericors) nonnulli in venerandum nostrum seruatorem, in spem, & vitam nostram scelerate nefarieque iecerunt, & scripturis diuinitus inspiratis, fideique sacrosanctæ contraria, non modo impudenter effutiuerunt, sed se ita credere palam confessi sunt? Nam cum amplius treceti episcopi, viri propter animi modestiam, & solertiam admirabiles, vnâ eandemque fidem (quæ & veritate, & exquisitis legis diuinæ testimoniis vera fides esse confirmatur) constabiliuissent, solus Arius inuentus est, qui vi ac fraude diabolica victus, ab ea penitus desciuerit: qui que impia animi impulsione incitatus, hanc erroris labem primum apud vos, deinde apud alios sparserit. Quocirca eam, quam omnipotens pater nobis tradidit doctrinam amplexemur: ad fratres nostros charissimos, à quibus nequam & impudens diaboli minister nos segregauit, redeamus: ad commune corpus ecclesiar, & ingenua nostra membra toto pectore, vt dicitur, reuertamur. Istud enim vestra prudentiæ, fidei, & sanctitati in primis consentaneum est, vt errore illius, qui se hostem veritatis constituerit, penitus depulso, ad Dei gratiam, & voluntatem vos denuo recipiatis. Nam quod trecentis episcopis visum est, non est aliud putandum, quam Dei sententiam, præsertim cum in talium, & tam præclarorum virorum mentibus facer insideret spiritus, qui illis diuinam voluntatem aperuerit. Quapropter nemo vestrum hesitet, nemo moram interponat, sed omnes lubentibus animis ad viam veritatis redite, vt simul atque ipse ad vos aduentauero, debitas gratias Deo, qui omnia lustrat, vna vobiscum agam, quod non modo fidem synceram nobis patefecerit, verum etiam Charitatem, quæ omnibus optanda erat, benigne largitus sit. Deus vos, fratres charissimi, diu seruet incolumes.

Ista Imperator ad populum Alexandrinum perscripsit, plæneque significauit illam de fide decisionem non temere & fortuito factam esse, sed permagna diligentia in veritate indaganda expendendaque adhibita, concilium eam edidisse, neque quædam oratione explicata esse, alia silentio præterita, sed quæcunq; ad doctrinam fidei confirmandam dictu  
vide-

videbantur necessaria, omnia fuisse in medium adducta, neque inconsulto esse ante definita, quàm accurata inquisitione excussa fuissent: Vsq; adeo, vti omnia, quæ vel controuersia, vel discordiæ materiam suppeditare putabantur, prorsus è medio tollerentur. Verum vt summatim dicam, omnium qui ibi conuenerant voluntatem, Dei voluntatem appellat: nec dubitat, quin tanta episcoporum multitudo, diuino Spiritus sancti afflatu, in eadem mente & sententia consenserit. At Sabinus, qui hæresis Macedonianæ princeps est, dedita opera his refragatur: Imo verò eos, qui Nicææ coacti erant, imperitos & inscios vocat: neque veretur ipsi Eusebio Cæsariensi ignorationis vitium falso obijcere, neque illud secum cogitat, eos qui aderant in Concilio, licet fuissent imperiti (vt ipse prædicat) animis tamè à Deo illustratos, & Spiritus sancti gratia imbutos, nullo modo à veritate aberrare potuisse. Verum audiamus, quid Imperator per alteras literas contra Arii dogmata, & eos, qui opinione cum eo conspirabant, statuerit, atque ad Episcopos populumq; cuiusque loci miserit.

*Alia Epistola Constantini.*

*Victor Constantinus, Maximus, Augustus,  
Episcopis, & populo, S.*

**C**VM Arius scelestorum & impiorum hominum consuetudinem imitetur, eandem cum illis ignominia & turpitudinis notam merito subire debet. Quemadmodum Porphyrius capitalis pietatis hostis, qui nefarios libros contra religionem Christianam nuper edebat, mercedem dignam laboribus recepit, & eiusmodi quidem, vt apud posteriora secula non ipse solum maximis probris vexatus fuerit, & turpissima infamiae labe aspersus, verum etiam impia eius scripta deleta penitus & extincta: Sic iam visum est, Arium & eius sectatores, Porphyrianos nuncupare, vt quorum secuti sint mores, eorum etiam nomen habent: quinetiam si quod opus ab Ario conscriptum reperitur, illud cremandum esse, vt non modo execrabilis eius doctrina funditus tollatur, sed etiam nullum monumentum eiusdem omnino

omnino



SOCRATIS HISTORIAE

omnino relinquatur ad posteritatem. Illud etiam mandamus, ut si quis librum ab Ario compositum occultasse deprehensus sit, & eum non statim in medium adductum igne combusserit, morte mulctetur. Nam mox ut comprehensus fuerit, plectatur capite. Deus vos seruet incolumes.

*Constantinus Augustus Ecclesis, S.*

**C**VM ex florenti & prospero Reip. statu, quanta sit diuinae virtutis erga nos benignitas, compertum habere, istud omnium maxime mihi propositum putavi, ut in sanctissima catholicae ecclesiae multitudine, vna fides, syncera Charitas, & consentiens erga Deum omnipotentem religionis cultus seruaretur. Verum quoniam istud non poterat aliter in loco tuto, firmoque collocari, nisi vel omnes episcopi, vel maxima eorum pars in vnum conuenisset, singulique suum iudicium de rebus ad sacratissimam religionem pertinentibus interposuissent, eam ob causam, cum cætus, quantum fieri poterat, maximus coactus esset, Ipse tanquam vnus è vestrum numero, vna adfui. Neque enim recusabam (ex qua re iam maximam capio lætitiã) me vobiscum in eo ministerio coniungere. Atque eousque de omnibus rebus accurate quæsitum est, quoad sententia Deo omnium contemplatori grata acceptaque, propter concordiam & animorum consensum, palam pronunciata esset, sic ut nihil quod vel ad discordiã vel fidei controuersiam spectaret, omnino in posterum reliquum fieret. Ibi cum de sanctissimo festo die Paschatis disceptaretur, communi omnium sententia rectum esse videbatur, ut omnes vbique vno, eodemque die illud celebrarent. Quid enim præstabilius, quidue Augustius esse poterat, quam ut hoc festum, per quod spem immortalitatis nobis ostentatam habemus, vno modo & ratione apud omnes continenter obseruaretur? Ac primum omnium indignum plane videbatur, ut sacratissimum istud festum, Iudæorum ritum, & consuetudinem imitantes, ageremus: qui quidem quoniam suas ipsorum manus detestabili scelere polluerunt, merito, ut scelerosos decet, cæco animorum errore irretiti teuentur. In nostra enim situm est potestate, ut illorum more reiecto, veriore & ma-

& magis sincero instituto (quod quidem vsq; à prima pas-  
 sionis die hætenus recolimus) huius festi celebrationem  
 ad posterorum seculorum memoriam propagemus. Nihil  
 igitur sit nobis commune cum Iudæorum turba, omnium  
 odiosa maxime. Aliam enim viam, quam insistamus, à serua-  
 tore didicimus. Proponitur namq; sanctissimæ nostræ re-  
 ligioni cursus quidam, & legitimus & decorus. Hunc igi-  
 tur, consentientibus animis, mordicus tenentes, fratres ho-  
 noratissimi, ab illa nefaria Iudæorum opinione nos ipsos  
 remoueamus. Est enim reuera absurdissimum, vt illi inso-  
 lenter se iactent, nos absque ipsorum disciplinæ subsidio,  
 istas res nullo modo posse obseruare. Quid tandem est, de  
 quo illi recte sentire queant, qui post necem domino illa-  
 tam, post parricidium illud nefandum, ex mentis statu de-  
 turbati, non ratione vlla, sed intolerabili animorum impe-  
 tu, quocunq; insita ipsis & innata insania rapiat, feruntur?  
 Hinc etiam existit, quod ne in hac quidem parte veritatem  
 perspiciant, quippe præ errore, extra exquisitam temporis  
 in hoc festo celebrando obseruationem longissime euaga-  
 ti, eodem anno alterum Pascha celebrât. Proinde quid est  
 cur istos imitemur, quos graui erroris morbo laborare con-  
 stat? Eodem namque anno idem festum denuo recolendo  
 renouari non permittemus. Verum, quamuis ista non à me  
 fuissent proposita, tamen vestræ solertiæ esset, cum diligen-  
 tiam adhibere, tum precibus semper optare, vt nulla de cau-  
 sa vestrorum animorum integritatem nequam hominû mo-  
 ribus admiscere cogamini. Porro illud etiam facile potest  
 intelligi, maximum nefas esse, vt in tanto & tam solenni re-  
 ligionis nostræ festo regnet dissensio. Vnum enim liberta-  
 tis nostræ diem festum, hoc est, sanctissimæ passionis, Ser-  
 uator noster nobis tradidit, vnamq; ecclesiam catholicâ esse  
 voluit. Cuius quidem membra, tametsi in multa & varia lo-  
 ca dispersa sint, tamen vno spiritu, hoc est, diuina voluntate  
 & nutu coalescunt. Vestræ igitur sanctitatis prudentia accu-  
 ratè secum consideret, quàm graue, imo verò quàm indeco-  
 rum sit, vt iisdem diebus alij ieiuniis vacent, alij agitent cõ-  
 uiuiæ: ac post dies paschatis, alij in festis & animorum remis-  
 sione versentur, alij præscriptis ieiuniis se dedant. Qua-  
 propter istud rectius instituendum est, & ad vnâ formam,

## SOCRATIS HISTORIAE

æ modum redigendum. Hoc enim (sicut omnes vos satis  
 animaduertere existimo) diuina prouidentia vult. Et quo-  
 niam istud ita via & ratione gerendum erat, vt nihil nobis  
 cum consuetudine parricidarum, & eorum, qui necis domi-  
 ni auctores extiterunt, esset cōmune, & modus ille eximius,  
 decorusq; esset seruandus, quem omnes ecclesiæ, totius or-  
 bis partes, vel ad occidentem, vel ad meridiem, vel ad Sep-  
 tentriones incolentes seruant, ac nōnullæ quoq; quæ in lo-  
 cis ad Orientem spectantibus habitant, Idcirco omnes in  
 præsentia hoc recte se habere arbitrati sunt. Ipseq; etiam in  
 me recepi vestram sapientiam facile assensuram, vt quod in  
 vrbe Roma, Italia, in Africa, in tota Aegypto, Hispania,  
 Gallia & Britānia, in Lybia & vniuersa Græcia, in diocœsi  
 Asiatica & Pontica, in Cilicia deniq;, vna & consentiente  
 sententia conseruatur, hoc etiam à vobis quoq; lubentibus  
 animis approbaretur: illud sedulo reputantibus, non solum  
 in locis, quæ modo citauī, maiorem ecclesiarum numerum  
 existere, sed etiam sanctissimum institutū esse, vt omnes cō-  
 muni consilio id ratum cupiant, quod accurata & recta ra-  
 tio postulare videtur, quodq; nihil cum Iudæorū periurio  
 habet commercii. Verū vt summam rei breuiter comple-  
 ctar, visum est communi omnium iudicio, sacratissimū Pa-  
 schatis festum vno eodemq; die celebrandum esse. Neque  
 enim in re tā sancta & solenni, vlla dissensio debet existere,  
 imo hanc sequi sententiam, cui nullus à fide alienus error,  
 nullumve vitium omnino admistum sit, multo maximā ha-  
 bet commendationem. Quæ cum ita se habeant, lubentes  
 hoc decretum, tanquam donum Dei, & mandatū reuera cœ-  
 litus demissum amplexamini. Nam quicquid in sanctis epi-  
 scoporum conciliis decernitur, id vniuersum diuinæ volun-  
 tati debet attribui. Quamobrem vos, vbi omnibus dilectis  
 nostris fratribus, in hoc concilio gestas res, sententiam iam  
 decretam, & sanctissimi festi obseruandi modum denuntia-  
 ueritis, eadem ipsi approbare, riteque disponere debetis, vt  
 simul atq; vestram rectam omnium rerum dispensationem,  
 iam pridem à me desideratam, me plane perspicere contige-  
 rit, vno eodemque die vobiscum vnā sacrosanctum festum  
 recolere possim, & simul omnium causa permagnam animo  
 capiam voluptatem: quod quidem fiet, cum intellexero

non

non solum diabolicam crudelitatem per vestra recte facta,  
 diuina virtute opem ferente, penitus profligatam esse: ve-  
 rum etiam fidem nostram, pace & concordia conciliata, v-  
 bique egregie florere. Deus vos fratres charissimi seruet  
 incolumes.

*Alia Epistola ad Eusebium.*

*Victor Constantinus, Maximus, Augustus,  
 Eusebio, S.*

QVemadmodum ad hoc vsque tempus, ob impiæ vo-  
 luntatis institutum, & grauem tyrannidem seruos Dei  
 ac seruatoris persequentem, pro certo cognoui, & mi-  
 hi ipsi satis persuasum habeo, omnium ecclesiarum ædificia  
 vel negligentia corruisse, vel impèdientis periculi metu mul-  
 to minus, quàm debuerant, refecta fuisse, frater charissime,  
 sic nunc cum libertas omnibus restituta sit, & Draco ille, Dei  
 Opt. Max. prouidentia, nostroque ministerio de communi  
 Reip. administratione depulsus, virtutem ac potentiam di-  
 uinam omnibus satis cõstare arbitror, & eos, qui vel timore  
 vel infidelitate, vel aliis quibusdam peccatis lapsi sunt, cum  
 illum, qui reuera Deus est, iam agnoscant, in veram & rectã  
 viuendi viam redituros. Quibuscunque igitur ecclesiis, vel  
 ipse præsis, vel aliis in locis alii episcopi, presbyteri, & dia-  
 cono, quos nosti, præficiantur, omnibus per te admoneantur,  
 vt earum ædificia sedulo accurentur: quo vel ea, quæ rema-  
 nent, reficiantur, laxioraq; fiant, vel vbi necessitas postula-  
 uerit noua de integro extruantur. Quæ verò res ad ædifica-  
 tionem necessariò requiruntur, eas quidem cum ipse, tum  
 alij, tuo nomine à præfectis, & rectoribus prouinciarum pe-  
 tent. His enim per literas à me significatum est, vt omni stu-  
 dio & propensione animi ea, quæ fuerint à sanctitate tua præ-  
 scripta, subministrant. Deus te frater charissime diu floren-  
 tem seruet. Ista de ecclesiis ædificandis ad episcopos cuius-  
 que prouinciæ perscripsit Imperator: quæ autem de libris  
 sacris parandis separatim ad Eusebium Palæstinæ Cæsareæ  
 Episcopum scripserit, ex his literis, quæ sequuntur facile po-  
 test intelligi.

## SOCRATIS HISTORIAE

*Victor Constantinus Max. August. Eusebio  
Caesarea Episcopo, S.*

**C**VM in vrbe, quæ nomen suum ex nostro nomine tra-  
xit, Dei patris, ac seruatoris nostri prouidentia iuuan-  
te, maxima sit hominum multitudo, quæ se sanctissime  
Ecclesie adiunxerit, quo omnia, quæ ad religionem perti-  
nent, indies in eo loco magis magisque crescant, videtur ad-  
modum operæ precium, ut plures ecclesie ibi extruantur.  
Proinde tu, quod nostræ voluntati visum est, alacri animo  
capesse. Tuæ enim prudentiæ significare consentaneum du-  
ximus, ut quinquaginta volumina in membranis parares,  
quæ sint tum ad legendum facilia, tum idonea ad vtendum,  
tum denique ad portandum, accommodata: eaque à librariis,  
qui & scite norint scribere, & eam artem accurate teneant,  
describi præcipias. Atque eos libros sacræ scripturæ com-  
plectantur, quorum præparationem & vsum ad ecclesiam  
erudiendam maxime necessarium esse scis. Literæ vero à no-  
stra Clementia ad generalem quæstorem datæ sunt, ut om-  
nia, quæ ad istos libros parandos requiruntur, suppeditan-  
da curet. Ut autem quam primum hæc descripta volumina  
comparentur, tuarum partium erit sedulo prouidere. Ete-  
nim duos publicos currus accipiendi, quibus eo conuehan-  
tur, ex istarum nostrarum literarum authoritate, tibi ut par-  
erat potestatem fecimus. Nam ita illa, quæ concinne descri-  
pta sunt maxime, ad nos facillime comportabuntur: & eo  
certe facilius commodiusque, si vnus ex ecclesie tuæ diaco-  
nis istud munus exequatur. Qui vbi ad nos accesserit, no-  
stram benignitatem probe experietur. Deus te frater cha-  
rissime seruet incolumem.

### *Alia Epistola ad Macarium.*

*Victor Constantinus, Maximus, August. Maca-  
rio Iherosolymorum Episcopo, S.*

**T**anta seruatoris nostri erga nos benignitas declarata  
est, ut nulla tam accurata dicendi ratio & vis sit, quæ  
præsens miraculum pro dignitate explicare posse vi-  
deatur. Nam ut insigne illud sanctissimæ illius passionis  
moni-

monimentum, quod terræ visceribus iam pridem abditum, tot tamque multis annorum cōuersionibus delituisse, tum illucesceret seruis Dei, cum illi communi omnium hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profecto hominum admirationem longe superat. Etenim si omnes, qui in vniuersi orbis terrarum ambitu sapientes videantur, in vnum locum congregati, aliquid pro rei dignitate dicere aggredierentur, ne minimæ eius parti oratione ex æquo satisfacere possent. Miraculi namque fides, tanto plus vniuersum humanæ rationis & naturæ captum vincit, quanto res cælestes & diuinæ humanis sunt valentiores. Quapropter hoc vnum mihi semper in primis propositum sit ad dicendum, quod sicut vera fides seipsa quotidie nouis miraculis patefacit, sic nostri omnium animi, omni modestia & concordia alacritate, ad sanctas euangelij leges colendas attentiores fieri debent. Præterea illud, quod cuique perspicuum esse arbitror, pro certo tibi cum primis persuasum velimus, hoc nobis præ cæteris rebus omnibus maximè curæ esse, vt locus ille sacer, quem Dei iussu, turpissima simulachrorum mole, tãquam graui quodam onere imposito, purgauimus, quemque & primis mundi temporibus ipsius Dei iudicio sanctum habitum esse, & postea etiam, quia fidem passionis seruatoris tanquam è tenebris in lucem euocarit, multo clariorem suæ sanctitatis significatione dedisse cognouimus, magnifica ædificiorum structura exornetur. Par est igitur, vt tua prudentia, ita opus disponat, & res quasque necessarias proinde accuret, quo non modo sanctuarium templi reliquis omnibus, quæ vbique sunt, pulchritudine antecellat, sed etiam cæteræ eius partes tales sint, vt omnia templa, quæ in singulis ciuitatibus primas tenent, huius ædificij dignitate longe superentur. Ac de erigendis parietibus, exquisitoque artificio perpoliendis, tum Draciliano amico nostro, qui nonnullas aliarum prouinciarum partes administrat, tū vestræ etiam prouinciæ præfecto, scito curam à nobis esse impositam. A nostra enim benignitate illis imperatum est, vt qui artifices, qui operarij, quæue res aliæ, fuerint ad illud ædificium necessariæ, à tua prudentia discant, ac statim eorum prouisione eo mittantur. Quod autem attinet ad columnas cæterasve partes ex marmore cōficiendas, quas ipse

SOCRATIS HISTORIAE

existimaueris, vel ad decus illustriores, vel accommodatio-  
res ad diuturnitatem fore. Cum eas summatim tecum confi-  
deraueris, fac ad nos diligenter perscribas: vt cum ex literis,  
tuis, quibus rebus opus fuerit, in tellexerimus, vndique eæ-  
dem illo comportari possint. Nam locus ille, qui totius or-  
bis terrarū facile primas tenet, omnibus ornamentis merito  
illustrandus est. Testudinem verò sanctuarij laqueatam,  
ne facere, an alio quodam fabricæ genere extruere placeat,  
abs te certior fieri velim, Quod si laqueata fiat, scite quoq;  
inaurari poterit. Restat igitur, vt tua sanctitas illis, quorum  
iudicio, vt supra dictum est, rem permisimus, quibus opera-  
riis, quibus artificibus, quibus denique sumptibus opus fu-  
erit, quàm celerrimè significet: quin etiam nos non solum  
de columnis, aliisq; partibus ex marmore conficiendis, ve-  
rùm etiam de testudinis laquearibus (si modo illud fabricæ  
genus pulchrius esse censeas) quàm primum certiores fa-  
cias. Deus te frater charissime, diu seruet incolumem.

Alias quoque epistolas Imperator contra Arium, & eius o-  
pinionis fautores, magis populari ac fusa scribendi ratione  
composuit: quas quidem, quo eius amentiam falsus mor-  
deret, & lepida dissimulationis specie acrius pungeret, in  
singulis ciuitatibus passim diuulgādas curauit. Literas præ-  
terea scripsit ad Nicomedenses, quibus in Eusebiū & The-  
ognidem grauiter inuectus est: Eusebium autem propter  
versutiam & improbitatem vehementer reprehendit, nimi-  
rum quod non solum Arianismi fordibus se infecisset, ve-  
rùm etiam, tum partibus Licinnij tyrāni antea fauisset, tum  
suis conatibus per insidias restitisset. Eos igitur hortabatur,  
vt alium episcopum pro eo deligerēt. Verum epistolas eius  
de hisce perscriptas, quoniam prolixiores sunt, hoc loco po-  
nere superuacaneum esse iudicauī: præsertim cum illis, qui  
earum desiderio teneantur, pro arbitratu eas tum conqui-  
rendi, tum perlegendi copia sit. Atque hæc quidem ha-  
ctenus.

*Quod Acesium nouatianorum Episcopum Impera-  
tor ad concilium vocauerat. CAP. VII.*

**I**mperatoris verò studium, quo ad pacem tuēdam tanto-  
pere incumbibat, me mouet, vt rei alterius eius concilio  
gestæ

gestæ mentionem faciam. Quoniam concordia ecclesiæ permagnam curam habebat, Acesium sectæ Nouatianorum episcopum, ad concilium accersuit. Ac postquam decisio de fide à concilio, cum in commentarios relata, tum subscriptionibus confirmata erat, Imperator sciscitatur ab Acesio, utrum ipse & eidem fidei, & decreto quoq; de festi Paschatis obseruatione constituto assentiretur. Tum ille, nihil noui, inquit, ô Imperator, concilium decreuit statuitq;. Nam antiquitus à primis ecclesiæ iactis fundamentis, & ab Apostolorum temporibus, eandem fidei decisionem deriuatam fuisse, & idem tempus festi Paschatis celebrandi obseruatû accepi. Rursus cum Imperator quæreret, quid causæ esset, cur se à communione segregasset, Ille res regnante Decio gestas, & quæ persecutione ingruente acciderant, pro se citauit, exquisitamq; seueri cuiusdam Canonis obseruationem in medium adduxit: nimirum eos, qui post baptismum in illud peccati genus, quod sacrosanctæ scripturæ peccatum ad mortem appellât, delapsi fuissent, non debere diuinorum mysteriorum fieri participes, sed ad pœnitentiam cohortâdos, & remissionis spem, non à sacerdotibus, sed à Deo, qui & potest, & auctoritatem habet peccata remitti, expectandam. Quæ cum dixisset Acesius, Imperator sic illum denuo affatus est: Erigito tibi scalam Acesi, & ad cælum solus ascendito. Istud factum, neque Eusebius cognomento Pamphilus, neq; quisquam alius scriptor aliquando literis prodidit: sed ipse à viro minime vano, qui ætate admodum prouecta erat, eaq; quæ in concilio gesta ipse viderat, commemorabat, equidem accepi. Vnde etiam coniecturam facio, idem illis contigisse, qui hoc silentio prætermiserunt, quod alijs plerisq;, qui ad historiam scribendam omne suum studiû & operam conferunt. Nam isti non pauca missa faciunt, vel studio partium, quibus nimium fauêt, adducti, vel ut certis hominibus gratificentur. Sed de Acesio satis multa.

*De Paphnuso Episcopo, & Spyridione Cy-  
priorum Episcopo. CAP. VIII.*

**Q**uoniam antea sum pollicitus me Paphnutij, & Spyridionis mentionem facturû, hoc loco tēpus opportunû



SOCRATIS HISTORIAE

se offert de illis pauca dicendi. Paphuntius ciuitatis cuiusdam in superiore Thebaide sitæ Episcopus fuit: Vir sane adeo sanctus ac pius, vt eximia cum primis miracula ab eo ederentur. Huic quidem, persecutionis tempore, oculus effossus est. Imperator igitur hominem in magno honore habuit: sapissimè illum ad regiam suam accersuit: oculum erutum exoscultatus est. Tanta enim pietas & reuerètia aduersus sanctos viros in animo Imperatoris Constantini infidebat. Verum de vna re à Paphuntio gesta hæcenus. Alteram etiam narrabo eius consilio confectam, quæ & ecclesiæ utilitati, & omnibus, qui sacris sunt initiati, ornamento esse possit. Visum erat episcopis legem nouam in ecclesiam introducere, vt qui essent sacris initiati, sicut episcopi, presbyteri, & diaconi, cum vxoribus, quas cum erant laici in matrimonium duxissent, minime dormirent. Et quoniam illis erat propositum de hac re consilium inire, in medio eorum confessu surrexit Paphuntius: vehementer vociferatus est, non graue iugum ceruicibus illorum imponendum esse, qui erant sacris initiati: honorabile esse coniugiũ inter omnes, & torum immaculatum: videndum, ne nimis exquisita præscriptione ecclesiam graui incommodo afficerent. Omnes enim non posse ferre tam austeram disciplinam, tamque ab omni animi perturbatione vacuam: neque a singulorum vxoribus fortasse eam castimoniam normam posse seruari. Viri autem cum vxore legitima concubitus, castimoniam appellauit: Illud satis esse, vt qui in Clerum ante ascripti erant, quàm duxissent vxores, hi secundum veterem ecclesiæ traditionem, deinceps à nuptiis se abstinerent: non tamen quemquam ab illa, quam iam pridem, cum laicus erat, vxorem duxisset, seiungi debere. Istam in Episcoporum conuentu orationem habuit Paphuntius, cum ipse non modo nuptias non expertus esset, sed etiam (vere dixerim) mulierem non aliquando attigisset. Nam à puero, in monasterio seipsum seuerò vitæ disciplinæq; generi totum dedidisset: qui quidem propter singularem castimoniam, præ cæteris plane in magna famæ celebritate vixit. Itaque cum totus episcoporum, presbyterorum & diaconorum conuentus, verbis Paphuntij assensisset, controuersia de hac re exorta, penitus sedata est, potestasq; promissa cuique pro arbitratu ab

vxorum

*Locus cũ An  
theopontii  
non superius  
vide in Basile  
si. p. 22*

*Sacerdo-  
tes vxor-  
es duce-  
re nõ de-  
bent.*

vxorum consuetudine abstinendi. Sed abeamus à Paphuntio, & ad Spyridionem veniamus: qui tam sanctus erat, & religiosus pastor, vt dignus videretur, qui hominum pastor existeret. Hic ciuitatis cuiusdam in Cypro nomine Trimithuntis Episcopus fuit: qui quidem cum episcopatus munere fungeretur, propter singularem animi modestiam oues etiam paut. Et quanquam multa eius facta commemorata sunt, nos tamé vnum solum & alterum, ne ab eo quod propositum est, longius aberret oratio, in medio ponemus.

Fures quodam tempore, nocte concubia, clam in ouilia eius irruunt: oues inde furripere moliuntur. Sed Deus, qui pastorem seruauerat, seruabat & oues. Nam fures vi quadam, quæ oculis cerni non poterat, ad ouilia tenebantur astricti. Cum autem dies illucesceret, Spyridion ad oues venit. Vbi manus furum à tergo colligatas animaduertit, quod factum erat, cognouit. Deumq; precatus, eorum manus soluit: magnopere hortatur, admonetq;, vt non ex iniquis, sed ex iustis laboribus victum quærere contenderent. Arietem illis dat: & cum hoc faceret dicto (vobis istum dono, ne frustra vigilasse videamini) liberos dimisit. Sed de vno Spyridionis miraculo dictum sit. Alterum iam accipite. Filiam habuit virginem, paterna pietate & sanctimonia præditam, cui nomé erat Irene. Apud quam familiaris quidam & necessarius ornamentum valde preciosum deponit. Illa depositum quo magis in tuto collocaret, in terram abdedit. Paulo post excedit è vita. Postea autem venit, qui illud deposuerat, & cum virginem mortuam offenderet, patrem illius eo cœpit implicare negocio: atque interdum eum insinuat, nonnunquam precibus causam agit. Senex quoniam damnum illius, qui hoc deposuerat, suum ipsius damnum dicebat, ad filiæ sepulchrum se confert. Deum obtestatur, vt resurrectionem promissam iam ipsi ante tempus ostédât. Quæ quidem spes illum neutiquam frustrata est. Nam virgo reuiuiscit, inq; patris conspectum venit: quæ simul ac loco indicasset, vbi ornamentum illud erat occultatum, rursus è vita migravit. Eius generis homines, temporibus Constantini Imperatoris, in variis Ecclesiis floruerunt. Ista cum à multis Cypriis ipse auribus accepi, tum in quodam libro Ruffini presbyteri latino sermone conscripto legi: ex quo

## SOCRATIS HISTORIAE

quidem hæc ipsa aliaq; nonnulla, quæ post à me commemo-  
rabuntur, deprompsi.

### De Eutychemo monacho. CAP. IX.

**E**Vtychianum etiam, virum in primis pietatis studio-  
sum, mihi narratū est, iisdem temporibus cū magna lau-  
de vixisse: qui tamen de Nouatianorum ecclesia fuit,  
multas tamen res, his, quas recensuimus persimiles, non sine  
omnium admiratione gessit. Quisnam autem mihi eius fa-  
cta memorarit, dicam accurate: neque illud, quamquam in  
nonnullorum offensionem videbor incurrere, omnino oc-  
cultabo. Auxanon quidam, ecclesiæ Nouatianæ presbyter,  
qui vitam longissimè propagauit, ad concilium Nicænum,  
cum admodum adolescens esset, accessit vna cum Acesio:  
eaq; quæ de Acesio supra exposui, mihi narrauit. Qui vi-  
tam ex illis temporibus ad imperium vsq; Theodosij iuni-  
oris produxit: resque ab Eutychemo gestas mihi iam valde  
adolescenti percensuit. Et quamuis multa sane de diuina  
gratia, quæ in illius mente penitus infederat, percurreret,  
Vnum tamen memorabile, quod Imperatore Constantino  
regnante accidisset, narrauit, quod ita se habet: Quidam è  
numero satellitū, quos Imperator domesticos vocat, simul  
ac in suspicionem vocatus erat, scelera quædam tyrannica  
fuisse molitum, fugę se mandauit. Imperator ira in illum in-  
flammatus, præcepit, vt vbicunq; reperiretur terrarum, neci  
daretur. Qui circiter Bithinum Olympum inuentus, in par-  
tibus Olympi grauissimis acerbissimiq; vinculis constri-  
ctus, carcere concluditur. In illis locis Eutychemus vitam  
exegit solitariã, multorumq; corporibus animisq; medici-  
nam fecit. Versabatur cum eo iste Auxanon, adhuc admo-  
dum adolescens, qui vitam ad longissimum temporis spa-  
tium protraxit, monasticamq; viuendi rationem sub illo di-  
dicit. Ad Eutychemum veniunt multi oratum, vt vincitum  
liberet, Imperatoremq; (nam fama miraculorum ab Euty-  
chemo editorum ad aures Imperatoris permanuerat) pro  
eo deprecetur. Qui prompto & parato animo pollicitus est  
se ad Imperatorem profecturum. Verum cum captiuus ille  
intolerabiles cruciatus, ex vinculis sibi impactis perpetere-  
tur, eius deprecatores Eutychemo dixere, mortem propter

viii-

vinculorum acerbitatem imminentem, cum supplicium ab Imperatore irrogandum, tum deprecationes pro illo facien- das præoccupaturam. Eutyechianus igitur ad carceris custo- des mittit: orat ut hominem dimittant. Sed ubi responde- rant, captiui illius liberationem sibi vitæ periculum creatu- rã, Eutyechianus simul cum Auxanonte ad carcerem recta fe- confert. Et cum custodes carcerem aperire nollent, gratia quæ in animum Eutyechiani inclusa erat, multo clariora sui ipsius indicia ostendit. Nam fores carceris sua sponte pa- tuerunt, idque cum claues apud custodes firme tenerentur. Cum autem Eutyechianus vna cum Auxanõte ingressus ef- set, & omnes qui tum aderant, incredibilis admiratio cepif- set, vincula captiuo sua sponte ceciderunt. Post ista Euty- chianus, & Auxanon vna, ad urbem, quæ olim Byzantium, postea Constantinopolis appellata est, iter capiunt. Euty- chianus in aulam Imperatoris recipitur: hominem morte li- berat. Nam Imperator, quoniam Eutyechianum in magno honore habebat, eius postulatam alacri & prompto animo concessit. Istud paulo post factum est, id tẽporis episcopi, qui in concilio aderant, ut primum cum alia nonnulla, tum ea, quæ decreta siue canones appellare solent, in commen- tarios retulerant, singuli ad suas ipsorum ciuitates reuerte- runt. Verũm arbitror operæ precium, nõ solum nomina epi- scoporum Nicææ congregatorum, qui præter cæteros ex- cellebant, (ea dico, quæ inuestigando reperire poteramus) sed etiam cuius quisque prouinciæ & ciuitatis fuerit, tem- pus quoque, in quo conuenerant, hoc loco commemorare. Aderat in hoc concilio Osius episcopus Cordubæ: Vito & Vincentius presbyteri: Alexander Episcopus Aegypti: Eustathius magnæ Antiochiæ: Ierosolymorum Macarius: Harpocratio, Cynon, & alij: quorũ nomina in libello A- thanasii Episcopi Alexandriae, qui Synodicus inscribitur, singillatim & accurate citantur. Quod autem ad tempus cõ- cilij attinet, coactum quidem fuit, sicut ex Annalium com- mentariis constat, Paulino, & Iuliano Cofs. vndecimo Ca- lend. Iunij anno sexcetesimo, trigesimo sexto post regnum Alexandri regis Macedonum. Isto modo cõcilium ad exi- tum perductum accepimus: quo confecto, intelligendũ est, Imperatorem ad partes versus orientem perrexisse.

Quod

SOCRATIS HISTORIAE

*Quòd Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicæus, qui in exiliū, propterea quòd in Ary sententiam discesserant, acti erant, cum tandem libello pœnitentia exhibito expositioni fidei assensissent, ad pristinas eorum sedes restituti sunt.*

C A P. X.

**E**Vsebius vero, & Theognis libellum, quo se facti pœnituisse ostenderent, præcipuis episcopis miserunt: & propterea Imperatoris mandato, non modo ab exilio reuocati sunt, sed etiam ad ecclesiarum suarum administrationem restituti, iique, qui in ipsorum loca suffecti erant, ab illo dignitatis gradu dimoti: Amphio scilicet ab Eusebio, & Chræstus à Theognide. Cuius libelli exemplar hic subiunximus. Tametsi cū antea à vestra sanctitate essemus cōdemnati, nostrum fuisset, ea quæ erant à vobis sanctè & religiose iudicata, tacite & cum silentio tulisse, tamen quoniã absurdum erat, vt nos silentio nostro contra nos opinionem aliis afferremus, nos plane calumniatores esse, Idcirco vobis significauimus, nos fidei decisioni consensisse, atque vi & notione verbi consubstantialis diligenter ponderata, paci nos totos addixisse, atque nullum errorem secutos esse, sed tum quo ecclesiarum securitati proinde consuleretur, ea quæ in nostram cogitationem venerant, vobis suggestisse, tum quo illos qui nostro concilio & sententia acquiescere deberent, certa persuasione confirmarem, fidei illi subscripsisse. Anathemati autem Ario à concilio denunciato, non ob eam causam non subscripsisse, quod fidem illam incusarem, sed quod minime crederemus, eum qui erat accusatus, hominem eius generis fuisse: præsertim cum ex illis, quæ priuatim ad nos ab eo, tum per epistolas relata erāt, tum per eius sermonem coram habitum declarata, pro certo essemus persuasi, ipsum longe alium esse. Quod si sanctū vestrum concilium nostris verbis voluerit fidem adhibere, illa quæ vestro iudicio decreta sunt, nō contradicendo impugnare, sed consentientibus animis confirmare decreuimus, & hoc libello consensum illum roboramus: non huc inducti, quod exilium grauiter & iniquo animo ferimus, sed

sed quod libenter cupimus hæresis vitare suspicionē. Nam si nos iam in vestrum conspectum venire permiseritis, commiseritis nos vestris decretis omnino suffragaturos. Et quoniam vestræ reuerentiæ visum est, illum qui rerum istarum reus agitur, humanitus excipere, ad vos accersere, est plane à ratione alienum, vt cum is, qui crimine tenetur implicatus, accersitus sit, illisq; quæ ipsi obijciuntur responderit, nos reticendo nosmetipsos culpæ conuincere videamur. Ne grauemini igitur, sicut vestram benignam decet reuerentiam, sanctissimum nostrum Imperatorem de nobis in memoriam redigere, nostra postulata illi exponere, & mature ea, quæ sunt prudentiæ vestræ consentanea, de nobis statuere. Iste libellus fuit palinodiæ, siue retractationis Eusebij & Theognidis. Ex cuius libelli verbis coniecturam facio, tum istos, quamquam fidei in concilio decretæ subscribebant, Abdicationi Arii suffragari noluisse, tum Arium ante istos accersitum fuisse. Verum licet hoc ita se habere videatur, tamen Ario interdictum esse, ne Alexandriam accederet. Quod plane constat, ex illis rebus, quas postea excogitauit, Vt per falsam & commētitiā pœnitentię speciē (sicut loco à nobis dicitur idoneo) reditum sibi ad ecclesiam, & vrbem Alexandriam patefaceret.

*Quòd finita Synodo, cum Alexander mortuus esset,  
Athanasius delectus est Episcopus.*

C A P. X I.

**N**ON multo post, Alexandro Alexandriae episcopo mortuo, illi ecclesie præficitur Athanasius. Ruffinus quidem narrat istum, cum adhuc puer esset, sacrū quendam ludum cum aliis æqualibus lusisse. Qui eiusmodi fuit. In ipso ludo pueri sacerdotij effigiem exprimere, & delectū eorum quæ ad sacra obeunda assumuntur, adumbrare conatur: In quo quidem Athanasius episcopatus gradum ac sedem sortito capit. Ex cæteris autem pueris, singuli agūt vel præbyteri partes, vel diaconi. Atque ad hunc modum à pueris lusum est, eo ipso die quo memoria Petri Episcopi & martyris celebrari solet. Eodem tempore Alexander Alexandriae Episcopus, forte prætergrediens, vniuersum ludendi modum

modum

## SOCRATIS HISTORIAE

modum contemplatur. Pueros accersit ad se: rogat quem quisque locum in eo ludo obtinuisset, ratus ex eo quod gestum erat, aliquid singulis praesignificatum esse. Quo facto, eos in ecclesia educari iubet, studiisque doctrinae erudiri: & maxime omnium Athanasium. Quem quidem, cum iam adoleuisset, diaconum ordinauit: secum duxit Nicæam, ut cum concilium in unum coereretur, sibi esset in disputando subsidio. Ista Rufinus de Athanasio in libris suis commemorat. Neque certe incredibile est ita accidisse. Nam multa saepe numero eius generis contigisse liquido constat. Sed de Athanasio obiter ista differuimus.

*Quod Constantinus Imperator ciuitatem quae antiquitus Byzantium vocabatur, ampliandam, eam nomine suo insigniuit. CAP. XII.*

**I**mperator post confectum concilium, in magna læticia atatem degit. Et simul, ut festum solemne ad vigesimum annum imperij sui, ut affolet, celebrauerat, nullam interposita mora, ad ecclesias extruendas omne suum studium contulit: istudque praestitit, cum in aliis urbibus, tum in ea, cui nomen suum imposuerat: quam quidem superioribus temporibus Byzantium appellatam constat. Hanc vehementer auxit: amplis circumdedit mœnibus: præclaris ædificiis exornauit: parem, & æqualem Romæ, ciuitati omnium facile principi effecit: Constantinopolin nuncupauit: lege denique sanciuit, ut secunda Roma vocaretur: quæ lex est in columna lapidea incisa, atque adeo publicè apud prætorium propter ipsius Imperatoris statuam equestrem collocata. In ista urbe binas ecclesias ædificauit: alteram pacis, alteram Apostolorum nomine appellatam. Et non modò, ut ante dixi, religionem auxit Christianam, sed omnes gentilium ritus penitus deleuit. Nam idolorum statuas ex delubris abripuit, & ut urbi Constantinopoli ornamento esse possent, sub dio in loco publico constituit: Tripodas delphicos in Circo palati loco locauit. Verum ista fortasse videntur parum necessaria ad commemorandum, præsertim cum ante hoc tempus ab omnibus, vel oculis visa, vel auribus percepta sint. Id temporis religio Christiana maximas sane fecit progressiones. Etenim temporibus Constantini Imperatoris, cum aliis rebus quam-

quamplurimis, tum fidei in primis amplificadæ, diuina pro-  
 uidentia prospectum est. Et quamquam eadem de huius im-  
 peratoris laudibus, amplo & graui dicendi genere, ab Euse-  
 bio cognomento Pamphilo pertractata sunt, nō incommo-  
 dum tamen est, mea quidem sententia, si nos etiam pro viri-  
 li nostra parte de eisdem pauca dixerimus: ac Primum de  
 eius matre.

*Quomodo mater Imperatoris Helena, Hierosolyma  
 concedens, postquam perquisitam Christi crucem  
 inuenerat, templū construxit. CAP. XIII.*

**H**elena Imperatoris mater (cuius nomine Drepane He-  
 lenopolis vocatur, olim vicus, iam ciuitas ab Impera-  
 tore facta) in somniis diuinitus admonita, Hierosoly-  
 mam iter capit. Et cum veterem illam Ierusalem desertam,  
 tanquam pomorum custodiam, vt est apud prophetam, of-  
 fenderet, Christi monumentum, in quo sepultus est, & ex *Psal. 78*  
 quo resurrexit, diligenter peruestigat: ac tandem, licet valde  
 ægre, Deo tamen illi opem ferente, repperit. Causam autem  
 quæ ei querētī tantū attulerit difficultatis, breuiter exponā.  
 Quemadmodū illi, qui Christi fidē amplexarentur, post té-  
 pus illius passionis illud monumentū in magno honore ha-  
 buerūt, sic qui ab eius religiōe abhorrerēt, loco illo aggerē  
 & ingēti terræ mole obruto, delubrū Veneris in eo extruxerūt:  
 & loci illius memoria suppressa, idoli simulachrū erexerunt.  
 At istud quidē iā olim ad hunc modū processisse acco-  
 pimus. Verū cū Imperatoris mater de eo certior facta esset,  
 simulachrū deturbat: locū effodit: colluue purgat ac sordi-  
 bus: tres cruces in monumēto offendit: vnā, beatam illā qui-  
 dem, in qua Christus expassus fuit: alteras duas, quibus duo  
 latrones suffixi, occubuerūt. Cum quibus vnā reperta est ta-  
 bula Pilati: in qua variis variarū linguarū characteribus scri-  
 pserat, palamq; declarauerat Christū crucifixū, regem fuisse  
 Iudæorū. Sed quoniā incertū erat, quānā esset crux, quam  
 querebāt, mater imperatoris nō mediocri dolore affecta est.  
 Quæ quidē nō lōgo tēpore post, Hierosolymorū episcopus  
 noīe Macari<sup>o</sup> sedauit: & quod erat anceps & ambiguū, fidei  
 vi & virtute dissoluit. Nam petiit signū à Deo, cuius cōpos  
 factus est. Signū autē eiusmodi fuit: Mulieri cuidā indigenæ,  
 quam



## SOCRATIS HISTORIAE

quam diuturnus morbus oppresserat, iam imminebat mors. Illi animam agenti singulas cruces apponit, pro certo persuasus eam ad integram valetudinem restitutam fore, si venerandam seruatoris crucem attingeret. Quæ spes illum minime fefellit. Nam cum duæ illæ cruces, quæ domini non erant, essent mulieri admotæ, illa nihilominus in mortis articulo constitit. Verum ut primum tertia, quæ fuit vera domini crux, adhibita erat, illa iam ferme moriens, extemplo conualuit, & è morbo penitus euasit. Ad hunc modum lignum crucis Christi inuentum est. Mater Imperatoris ad locum monumenti magnificum & egregium templum, quod nouam Hierusalem nuncupabat, è regione veteris illius & desertæ Hierusalem exædificat. Vnam crucis partem in theca argentea occlusam, pro monumento iis qui illius spectandi cupiditate ducerentur, ibi relinquit: alteram mittit Imperatori. Quam ubi is receperat, ratus ciuitatem, in qua illa seruaretur, omnino saluam & incolumem fore, in suam ipsius inclusit statuam, quæ Cōstantinopoli in foro, quod à Constantino nomen traxit, supra columnam ingentem ex lapide Porphyrite confectam collocata est. Istud, quamquam ipse auditione solum accipiens, scriptis mando: tamen omnes fere, qui Constantinopolim incolunt, verum esse affirmant. Quinetiam clauos, quibus Christi manus cruci affixæ erant, Constantinus assecutus (istos enim mater in seruatoris monumento reperiens, ad eum miserat) in frena curat, & galeam fabricandos, illisq; in bello gerendo utitur. Imperator porro omnem materiæ, quæ erat ad ecclesias extruendas necessaria suppeditat, scribitq; ad Macariū episcopū, ut ædificia maturet. Mater Imperatoris simul ac templum, quod nouam Hierusalem appellauerat, absoluisse, apud Bethlehem, in antro illo, ubi Christus natus erat, secundum carnem, alteram ecclesiam illo non inferiorem extruit: quin etiam alteram, in monte, vnde Christus ascēderat. Præterea adeo pia fuit ac modesta, ut in media plebeiarum mulierum turba præcaretur: Virgines etiam, quæ ecclesiasticæ viuendi regulæ se consecrauerant ad epulas inuitaret, ipsa illis ministraret, obsonia mensæ apponeret. Multa item ecclesiis & pauperibus donauit: omnem vitæ cursum sancte & religiose cōfecit: octogesimo suæ ætatis anno mortē obiit.

Corpus

Corpus eius ad Constantinopolim, quæ noua Roma appellata erat, deportatum, regali sepulchro conditum est.

*Quoniam pacto Imperator Constantinus vastatis  
gentilium delubris, multas multis in locis eccle-  
sias erexit.* CAP. XIII.

**P**ostea Imperator ad religionem Christianam maiore cura ac studio cepit incumbere. Gentilium ritus & cæremônias profligare: gladiatorum pugnas comprimere: suas ipsius imagines in idolorum templis statuere. Et cum gentiles affirmarent Serapidem esse, qui Nilum ad agros AEgypti irrigandos introduceret, propterea quod vlna quædam, id est mensura aquæ inûdantis (quam  $\omega\eta\chi\omega$  vocât) in templum Serapidis esset deportata, Imperator vlnam illam ad Ecclesiam Alexandrinam transferri iubet. Cum autem sermo percrebesceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minimè inundaturû, non modò flumen anno sequenti extra ripas vt solet diffluit, inq; posterum diffluxit, verû etiam inde re ipsa planum factum est, Nilum non propter huiusmodi superstitosam religionem, sed propter diuinæ prouidentia decreta inundare consueuisse. Eisdem temporibus, tamen Sarmatæ Barbari & Gotthi in agros Romanos irruptionem facerent, tamen Imperatoris institutum in ecclesiis construendis, neutiquam propterea præpeditû est: sed vtriq; negotio diligenter ac prouide ab eo prospectû. Nam istos crucis vexillo, quod est Christianorum propriû, in prælio fractus, tam fortiter deuicit, vt non solum tributû, quod ab antiquis imperatoribus dari solet Barbaris, ipse illis penitus ademerit: sed illi etiam præ incredibile victoria obstupefacti, tunc primum Christianæ religioni colendæ, cuius præsidio Constantinus incolumis euaserat, se totos traderent. Constantinus verò denuo ad alias Ecclesias ædificandas se conuertit, atq; vnam propter quercum Mambre (subter quam sacra ostendunt eloquia, angelos ab Abrahamo hospitio exceptos) fabricauit. Nam cum certior factus esset, aras apud illam quercum erectas esse, gentilia sacrificia ibi peragi, per literas Eusebium Cæsareæ episcopum, quod eam rem neglexerat, grauiter reprehendit. Iubet igitur aras

D

distur-

## SOCRATIS HISTORIAE

disturbari, & templum prope quercum construi. Alteram verò ecclesiam in Heliopoli Phœniciaë ædificari mandat, idq; tali causa adductus. Heliopolitani, quem olim habuerint legislatorem non habeo quidem dicere, sed quomodo moratus ille fuerit, ipsi mores ciuitatis aperte declarant. Nam vxores apud illos communes esse, lex patria iubet: & propterea de liberis nihil certi posse sciri. Etenim parentū, ac liberorum nulla distinctio est. Virgines etiam peregrinis, qui eo aduentant, constuprandas tradunt. Istud institutum iam apud illos inueteratum Imperator penitus abrogare laborauit. Nam sublato illo turpitudinis flagitio, lege quadam sacra & seuera sanciuuit, vt genera ac familiae, se inter ipsas agnoscerent. Ecclesiis denique exstructis, episcopum designandum, & sacrum clerum constituendum accurat. Sic ergo Heliopolitanorum status, malis illis perpurgatis, ad modestiam ab eo traductus est. Pari ratione templum Veneris in Aphacis, ad montem Libanum situm demolitus est: nefandos ritus, qui illic tam impudenter & inuerecundè gerebantur, radicitus extirpauit. Quid commemorem, quemadmodum dæmonem Pythonicum in Cilicia deturbarit, & delubrum, in cuius recessus se latenter abdidisset, funditus euertere præceperit. Porro tanto desiderio, ac studio erga religionem Christianam inflammatus erat, vt cum esset bellum contra Persas gesturus, tabernaculum quod ecclesiae formam & effigiem exprimeret, Sicut Moyses in deserto fecerat, ex velamine variato confecerit: illudque secum portandum curarit, quo in locis etiam desertissimis ædem sacram ad orandum decore paratam haberet. Verum id temporis bellum non vltius processit. Nam quia Persæ Imperatorem extimesceret, ante fuit extinctum. Quod autem Imperator in condendis vrbibus multum studij posuerit, quod ex nonnullis vicis ciuitates effecerit, vt Drepanem matris nomine appellarit, vt Constantiam sororis Constantiae nomine nuncupatam in Palæstina ædificauit, literis in presentia mandare minime opportunum arbitror. Nam non est nobis propositum, alias Imperatoris res gestas enumerare, præterquam eas, quæ ad Christianam religionem, imo verò quæ ad ecclesias solum spectare videantur. Quapropter cū præclare facta Imperatoris sint alterius in-

stituti

fituti, propriaq; ac separata tractatione egeant, aliis, qui de rebus eiusmodi rite scribere norint, omnino persequenda relinquo. Equidem ipse quoq; si ecclesiae concordia firma stabilisq; mansisset, penitus conticuissem. Nam ubi nullum argumentum suppetit ad dicendum, inanis solet esse & superuacanea dicentis oratio. Caeterum quoniam differendi subtilitas, & vanae fallaciarum argutiae Apostolicam Christianae religionis fide eodem tempore perturbarunt, & quasi membratim discerpserunt, de illis aliquid scriptis prodendum putavi, quo res in ecclesiis gestae ab obliuione vindicarentur. Nam earum noticia, cum apud alios pluresq; in magna laude ponitur, tum illum, qui eam habet multo plane efficit cautiorem. Etenim cum inanis aliqua de verbi significatione inciderit cotrouersia, docet eum firme animo consistere.

*Quomodo Constantini temporibus, interiores Indorum gentes, Christianam fidem amplexati sunt.*

C A P. X V.

**D**Einceps qua ratione Christiana religio temporibus huius imperatoris creuerit, latiusq; propagata sit, a nobis commemorandum est. Nam gentes, quae interiori Indiam & Iberiam incolebant, tunc primum Christi fidem receperunt. Quid vero causae sit, cur interiori India adiunxerim, paucis explicabo. Cum Apostoli sortito iter ad gentes suscepissent, Thomas Parthiam, in qua munere Apostolico perfungeretur, obtinuit: Matthaeus, Aethiopiam: Bartholomaeus, Indiam, quae huic finitima est, sortitione cepit. India autem interior, quam permultae gentes Barbarae accolunt, linguis inter ipsas discrepantes, non ante tempora Constantini verbo Christi, & eius religione illustrata est. Quae vero causa eos, ad Christi fidem amplectendam impulerit, iam dicturus venio. Meropius quidam Philosophus, genere Tyrius, studio Indorum regionem peruidendi incensus fuit: exemplo credo Metrodori Philosophi ad eam rem prouocatus, qui eandem regionem ante lustrauerat. Meropius igitur duobus pueris consanguineis secum deductis, qui linguae

## SOCRATIS HISTORIAE

Græcè neutiquam ignari erant, conscensa naue, in eam regionem trajcit. Et cum ea, quæ videre desiderabat, esset cõtemplatus, domumq; redire cuperet, rerum ad victum necessariarum inopia adductus, ad locum, in quo portus tutus & tranquillus erat, appulit: Accidit autem, vt eo ferè momento fœdera inter Romanos & Indos rumperentur. Indi igitur philosophum, & eos qui cum eo nauigant, compræhendunt, omnes, duobus illis pueris eius consanguineis exceptis, interficiunt. Pueros autem, propter ætatem commiserati, seruant incolumes, regi Indorum adductos, ei dono dāt. Ille puerorum aspectu oblectatur, Alterum, nomine AEdesium, pincernam, qui suæ ipsius mensæ pocula ministraret, constituit: Alteri, qui Frumentius appellatus est, regionum Scriniorum curam commisit. Non longo tempore post, rex excedit è vita: filio admodum tenero & vxori regni hereditatem relinquit: AEdesium & Frumentium libertate donat. Regina, cum filium valde paruulum sibi relictum haberet, postulat ab his duobus, vt vsque eo curam eius susciperent, quoad vir factus esset. Cui morem gerentes adolescentuli, regis fortunis sedulo prospiciunt: & quidem Frumentius vel maximè, qui summam rerum administrauit. Iste magna cura ac studio à Romanis mercatoribus, qui ad eam regionem cõmeabant, quæsiuit, num quis Christianus inter eos esset. Cumq; aliquot repperisset, ipsiusq; & collegæ statum eos docuisset, orabat, vt loca separatim sibi sumerent, in quibus Christianorum more preces Deo funderent. Tempore pedetentim progrediente, templum ad orandum exadificat Frumentius. Et Christiani illi quosdam ex Indis fidei principiis instituentes, sibi adiungunt. Vbi autem filius regis ad perfectam ætatem peruenerat, Frumentius & AEdesius fortunas regni à se probe administratas ei tradunt: petunt potestatem in patriam reuertendi. Cum autem Rex & mater obnixè obsecrarent eos, vt manerent, & neutiquam persuaderi possent, illi patriæ reuisendæ cupiditate incensi redierunt. AEdesius Tyrum contendit, vt parentes & cognatos visceret. Frumentius Alexandriam aduentans, Athanasio episcopo, qui nuper eum dignitatis gradum acquisuerat, omnem rem narrat: docet suæ profectiois euentum: spem bonam esse, Indos religionem Christianam recepturos

ros ostendit: orat, vt Episcopum & clerum vna eo mittat, & minimè eos, qui ad viam salutis deduci possent, negligat. Athanasius id, quod ad hoc negocium maximè accommodatum videretur, animo complexus, Ipsum Frumentium episcopum designauit: dixitq; se neminem habere ad illud munus eo aptiorem. Res ergo sic confecta est. Frumentius episcopatus honorem adeptus, ad Indorù regionem reuertitur. Christi fidem prædicat: multas ecclesias extruit: atque diuina gratia donatus, multa miracula edit: multis hominù cum corporibus medetur, tum animis. Ista Ruffinus ab ipso AEdesio, qui etiam postea Tyri sacerdotij dignitatem obtinuit, se audiuisse narrat.

*Quomodo Iberes ad Christi fidem conuersi sunt.*

CAP. XVI.

**I**AM tempus eo me vocat, vt quemadmodum Iberes eodem tempore Christi fidem amplexari cœperint, commorem. Mulier quædam, quæ pium & castum viuendi genus excolebat, diuina prouidentia, ab Iberibus capta est. Iberes isti prope pontem Euxinum habitant. Suntq; Colonia deducta ab Iberibus, qui Hispaniam incolunt. Mulier ista captiua, cum inter Barbaros versaretur, pietatis studio se totam dicauit. Nam multa erat in castimonix disciplina exercenda: feuerissima ieiunandi ratione vsa est: ardentibus precibus se totam addixit. Quod cum Barbari animaduertent, peregrinum & nouum rei gestæ modum admirantur. Accidit forte fortuna, vt regis filius, ætate admodum tenera, in grauem morbum delaberetur. Vxor autem regis, ad alias mulieres, vt patrius mos illic fert, puerum curandum mittit, si quid forte remedij experientia perdoctæ ad morbû sanandum scirent. Vbi autem puer à nutrice circumlatus, à nulla muliere sanari poterat, tandem ad captiuam deducitur. Illa multis mulieribus præsentibus, quamquam nullum remedium ex materia confectum adhibebat, (nullum enim didicerat) puerum tamen capit: Cilicio suo superponit: Hæc solum profert verba: Christus, qui multos sanauit, etiam hunc sanabit infantem. Post hæc verba, vbi præcata esset, Deiq; opem implorasset, confectum conualuit puer, restq; deinceps se habuit. Fama rei gestæ inde ad omnes mu-

SOCRATIS HISTORIAE

lieres Barbaras, atque adeo ad ipsam reginam permanat: nomenque etiam captivæ fit illustrius. Non longo tempore post, etiam regina ipsa in morbum incidit: mulier captiva accersitur: Illa ire recusat, ne quid amplius, quam sexus sineret, insolenter aggredieretur. Regina igitur ad eam defertur. Eadem facit, quæ in puero antea fecerat. Extemplo regina morbo liberata est: gratias agit mulieri, at illa, non est, inquit, hoc meum factum, sed Christi, qui est filius Dei, huius mundi fabricatoris. Hortatur ut eum inuocet: eum verum Deum agnoscat. Iberum rex morbum tam celeriter curatum esse, miratus percunctatusque, quis vxorem sanauisset, captivam donis remunerari iubet. At illa, se diuitiarum minime indigere respondit: pietatem namque se habere pro diuitiis asserit: regemque munus amplissimum recepturum, si Deum, quem illa agnouit, vellet agnoscere. Hac locuta, dona remittit. Rex ista verba in animo recondit. Postero autem die illi ad venandum egredienti, tale quiddam obtigit. Montium iuga, & saltus, vbi venabatur, obscura nebula, & crassa caligine circumfunduntur. venatio incerta & perplexa fit: via obstructa & impedita. Rex cum incertus esset animi, quid ageret, deorum auxilium, quos colebat, obnixè implorat. Verum vbi nihil profecit, captivæ mulieris Deus illi in mentem venit: eum adiutorem inuocat. Ac simul atque erat præcatus, nebula, caligoque penitus discussa, & dissipata est. Factum admiratus, domum lætus redit: quod acciderat, vxori exponit. Ilico captivam accersit: illa in eius conspectum venit: Sciscitatur ab illa, quis ille Deus esset, quem coleret: Illa sic regem Iberum erudit, ut Christi præconem efficiat: Nam huius piæ mulieris hortatu Christi fidem amplexus, omnes Iberes, qui ipsius parebant imperio, in vnum conuocat: illis verò ea, quæ de filij curatione, quæ de vxoris, quæ denique inter venandum illi ipsi acciderant, commemorat. Illos hortabatur, ut captivæ Deum colerent. Vtrique Christum prædicant: rex viris, regina mulieribus. Ut primum formam, & effigiem ecclesiarum, quæ apud Romanos sunt, à captiva didicerat, templum construere mandat: actutum ea præparari iubet, quæ ad eius ædificationem spectabant. Domus orationis erigitur. Simul  
atque

atque columnas etiam erigere conabantur, in eo opere diuina prouidentia animas incolarum in fide ædificat, eosq; ad Christum attrahit. Vna ex columnis forte mansit immobilis, nec vlla machina poterat commoueri: rumpuntur funiculi, & machinamenta franguntur. Animum igitur despondentes operarij, discedunt. Tunc captiuæ fides sese palam ostendit. Nam noctu, cum nemo animaduerteret, illa ad locum aduentat: tota nocte in precibus defixa, aduigilat: diuina prouidentia columna erigitur: in aere sublimis supra basim, nullo supposita fundamento, quo niteretur, libratè suspensa hæret, dies illucescit: rex, qui homo attentus, & diligens erat, ad ædificium venit: columnam propria basi libratam, inque sublimi pendentem, cernit. Factum attonitus miratur: omnes qui aderant, obstupescunt. Paulo post, illis inspectantibus, columna sua sponte descendit: & in propria basi se firmat. Inde clamor ab hominibus excitatur: regis fides vera esse prædicatur: captiuæ Deus laudibus effertur. De cætero verò non hæsitant, sed alacri ac prompto animo reliquas columnas erigunt: exiguo temporis spatio opus absoluunt. Postea ad Constantinum mittuntur legati: postulant ab eo, vt de reliquo fœdera cum Romanis iungant, episcopum & sacrum clerum accipiant. In Christum enim se syncere, & ex animo credere affirmarunt. Hæc Rufinus à Bacurio se didicisse ait: qui primum Iberum regulus fuit: deinde ad Romanos aduentans, tribunus militum, quos habebant in Palæstina, constituitur. Postea Imperatori Theodosio, in bello contra maximum tyrannum suscepto, maximo subsidio fuit. Ad hunc modum, temporibus Constantini, Iberes Christianam religionem receperunt.

*De sancto & magno Antonio monacho, & Manete Manichaorum sectæ antesignano, & vnde originem traxerit.*

CAP. XVII.

**E**isdem temporibus Anthonius monachus in solitudine Aegypti vixit: vita ac moribus qualis ille fuerit, quomodo cum dæmonibus palam & apertè dimicarit,



SOCRATIS HISTORIAE

illorum astutias, & callidas pugnas depræhenderit, multa prodigia & miracula ediderit, quoniã ab Athanasio Alexandriæ Episcopo, in libro separato de eius vita cõscripto, iam pridem expositum est, nobis plane superuacaneum videtur ad commemorandum. Tempora regni Constantini permagnam copiam virorum sic præclarè ad virtutem institutorũ effuderunt. Sed in bono tritico zizania etiam nasci solent, & sathanæ inuidia insidias bonis rebus tendere consuevit. Nam paulo ante tempora Constantini veræ religioni Christianæ, religio commentitia, gentilium ritus adumbrans, admixta est: non aliter, atque inter prophetas, pseudopphetæ, inter Apostolos pseudoapostoli exoriuntur. Id temporis enim Manichæus Empedoclis gentilis philosophi dogma, in Christianam religionem ficta simulationis specie voluit introducere. De quo quidem Eusebius cognomento Pamphilus, in septimo libro hystoriæ ecclesiasticæ mentionem facit ille quidem, sed tamen non satis accuratè eius res gestas persequitur. Quocirca quod ab eo prætermissum est, a nobis, explendum arbitror necessariò. Ita enim tum qui fuerit Manichæus, tum qua ratione adductus, res eiusmodi tam temere aggredi non dubitarit, facillime intelligetur. Scythianus quidam Saracenus, uxorem habuit captiuam, ex superiore Thebaide oriundam. Cuius gratia domiciliũ rerum suarum in Aegypto collocauit. Vbi autem disciplina Aegyptiorum erat institutus, Empedoclis & Pythagoræ opinionem in Christianam religionem introducere contedit. Duas esse naturas, vt Empedocles, Alteram bonam, alteram improbam asseruit: Improbam quidem, discordiam: bonam autem amicitiam nominauit. Istius Scythiani discipulus fuit Buddas, qui ante Terebynthus appellatus est: qui ad Babilonicam regionem, à Persis habitatam, profectus, multa prodigia de seipso falso commētus est, nimirũ quod ex virgine natus esset, quodq; in montibus educatus. Post ista quatuor libros conscripsit: quorum primum de milteriis, Secundum, Euangelium: Thesaurum, tertium: quartum denique, capita rerum inscripsit: qui quidem cum se quosdã ritus sacros exequi simularet, à maligno spiritu è sublimi in præceps deiectus est, sicq; misere perit. Mulier quadam, in cuius ædibus diuersabatur, illum sepeliuit: facultates eius

apud

apud se retinuit, quibus puerum natum annos septem, nomine Cubricum coemit. Illa, ubi istum in libertatem vindicasset, & literis instituisset, non multo post, è vita migravit: eiq; cum omnes Terebinthi fortunas, tum libros quoque, quos à Scythiano edoctus, composuerat, post mortem reliquit. Quas res cum acquisivisset libertus Cubricus, recta in Perfidem se confert: nomen commutat: & pro Cubrico Manetem se vocat. Libros Buddæ, siue Terebinthi, tanquam à se æditos, illis, quos errore implicauerat, proponit. Ac librorum argumenta verbo Christianam religionem cõplecti præ se ferunt, ipsa tamé disciplina omnino olent gentilitatem. Etenim Manes, utpote impius, homines ad multos deos colendos hortatur: solem adorandum docet: fatũ introducit: quod in nostra situm est potestate, tollit. Animorum ex vno corpore in aliud migrationem, manifestò tradit Empedoclis, Pythagoræ, & Aegyptiorum secutus opiniones. Christum natum esse non vult: illum spectrum fuisse dicit: legem, & prophetas abrogat: seipsum nuncupat paraclerum. Quæ quidem omnia ab Orthodoxa ecclesiæ fide sunt penitus aliena. In epistolis suis se Apostolum appellare non veretur. Sed tam impudentis mendacii debitas pœnas luit, idq; talem ob causam. Filio regis Persarum in morbum delapso, pater omnem (ut dicitur) mouebat lapidem, quo filius è morbo recrearetur. Ac de Manete certior factus, & eius præstigijs minime fucatas esse ratus, tanquam Apostolum accersit, spem animo concipiens, filium morbo per eum leuatum fore. Accedit ille bonus vir: commentitijs præstigijs filium regis aggreditur. Rex ut viderat puerum in manibus eius occubuisse, hominem in carcerem concludere conatur: debito supplicio afficere parat. Iste fugit in Mesopotamiam: sicq; vitæ consulit. Cum regi Persarum nuntiatum esset, illum in illis partibus versari, inde abripiendum curat: iubet viuum excoriari. pellem eius palea conferciri, ante portas ciuitatis appendi. Atq; ista quidem nos neuiquam confinxiimus, sed ex libro disputationis cuiusdam Archelai, Cascharum, vrbis Mesopotamiæ episcopi à nobis perlecta, excerptimus. Ipse autem Archelaus, ait se cum eo coram disputasse. Atque ea, quæ erant antea de eius vita scriptis prodita, narrat. Bonis igitur rebus prospere succeden-

## SOCRATIS HISTORIAE

cedentibus fatanæ inuidia, vt dixi, insidias parare solet. Sed quid sit causæ, cur benignus noster Deus, istud fieri permittat, vtrum vt probam spectatamq; ecclesiæ doctrinam excutiat, & inanem ostentationem, quæ de fide in nonnullorum hominum animis ingenerari solet, penitus amputet, vel alia de causa, quæcunque tandem illa fuerit, accidat, sicut perdifficile est ad explicandum, sic certe paucis expediri non potest: Atque tempus opportunum ad illud indagandum nobis in præsentia non suppetit. Neq; profecto est nobis propositum varias doctrinæ & opinionum sententias exquisitè exagitare, neq; abstrusam & reconditâ de prouidentia & iudicio Dei scientiâ elicere, sed historiâ rerum in ecclesia gestarû pro virili nostra parte explicare. Quoniâ autè à nobis commemoratû est, qua ratione execrabilis Manicheorû religio paulo ante Constantini tēpora exorta sit, deinceps ad temporû ordinē huic hitorix institutę propositû redeam⁹.

*Quòd Eusebius Nicomedensis & Theognis Nicæus, resumptis animis, omne studium suum, ad euer-tendam fidem quæ Nicææ confirmata erat, conuertebant, excogitato in Athanasium dolo, & de coacta Antiochia Synodo, quæ Eustathium Antiochia Episcopum deposuit, propter quem exorta seditio, fere ciuitatē deleuit. CAP. XVIII.*

**E**Vsebius & Theognis ab exilio reuersi, ecclesiarum suarum administrationē denuo capessunt, illis (vti dixi) expulsis, qui erant in eorum loca suffecti: atque adeo ab Imperatore, qui illos propterea in magno honore habebat, quod se à deprauata, & peruersa opinione ad rectâ synceramq; recepissent, libertatē nō vulgarem illam quidē consequuntur. Isti vero data ipsis libertate abutentes, maiorem tumultum orbi terrarû, quàm qui ante excitatus fuerat commouerunt, duobus nominibus ad eam rem impulsî: improba videlicet Arij opinione, quæ eorum animos ante implicatos tenuerat, & capitali odio, quo aduersus Athanasium flagrabant. Nam quoniam ille in concilio, dum erat de conouerſis disceptatum, strenue ac fortiter istis restiterat, primum ordinationem eius quasi ad episcopatum gerendum parum

parum idonei, & à viris minimè probatis delecti, inuidiose criminantur. Verùm vbi ille crimen sibi illatum penitus ab se depulerat, (eius namque spectata virtus eum in ecclesiæ Alexandrinæ episcopatu firme continuit) & pro fide in cōcilio Nicæno confirmata acriter decertabat, Eusebius tum toto pectore, vt dicitur, incubuit, vt Athanasium per insidias de eo dignitatis gradu dimoueret, & Arium Alexandriam reduceret. Nam eo pacto solum ratam de ὁμοσίου, id est, consubstantiali fidem se posse ab ecclesia exturbare: & pestiferam Arii doctrinam introducere putauit. Eusebius igitur scripsit ad Athanasium, vt Arium & eius fautores in ecclesiam admitteret. Et sicut per literas eum obsecrauit, sic minis aliud de oppositis perterrefacere studuit. Ac cū Athanasius nullo modo ad id faciendum adduci posset, imperatori persuadere conatur, vt Arium in eius conspectū venire permitteret, illiq; faceret potestatem Alexandriam reuertēdi. Sed quibus modis hāc rem valeret efficere, dicam equidem alio loco. Antequam istæ res gerebantur, alius in ecclesia tumultus ortus est. Nam tranquillam ecclesiæ statum sua ipsius membra perturbauerunt. Itaque Eusebius cognomento Pamphilus ait, statim post confectum concilium, Aegyptū seditionem intestinam conflasse: Causam tamen non adiungit. Vnde in bilinguis opinionem apud plerosq; venit. Nā causas reticere propterea putabatur, quod secum decreuerat, ea quæ in Concilio Nicæno constabilita erant, sua sententia neuiquam confirmare. Verùm sicut nos ex variis epistolis, quas post concilium episcopi, alter ad alterum scripserunt, perspicue depræhendimus, verbum Consubstantiale, nonnullorum animos vehementer cōturbauit: in quo quidem excutiendo, dum multum temporis ac studij consumebant, eiusq; vim tanquam ad viuum resecare curiose nimirum moliebantur, intestinū bellum inter ipsos excitarūt: atq; ea quæ gerebantur, nihil à pugna nocturna discreparūt. Nam minimè omnino ab se mutuo videbatur intelligi, cur se inter ipsos maledictis concidere ocepissent. Etenim qui vocem Consubstantiale repudiabant, illos qui eandem receperant, Sabellij & Montani opinionem de integro introducere censuerunt, & ob eam causam eos blasphematores nuncuparunt, tanquam filij Dei essentiam tollere molientes.

Qui

## SOCRATIS HISTORIAE

Qui autem contra, fidei consubstantialis firmè adhaerebant, alios multos deos inuehere arbitrati sunt, eosque tanquam gentilitatem inferentes auersati. Quinetiam Eustathius Antiochiæ episcopus, acriter perstringit Eusebiû Pamphilum, utpote fidem in concilio Nicæno roboratam deprauantem. Eusebius Pamphilus tum se fidem illam non omnino violare asserit, tum Eustathium, ut Sabellij opinionem inducentem grauius insimulat. Et propterea singuli episcopi, velut in aduersarios, scriptis orationibus grauius inuecti sunt. Cum autem vterque diceret filium Dei cum patre subsistere, & in patre esse, & in tribus personis vnum Deum confiteretur, inter ipsos, (qua de causa haud equidè scio) nequaquam consentire, & propterea nullo modo animis acquiescere, potuerunt. Concilium igitur Antiochiæ cogitur: Eustathius utpote errori Sabellii magis, quam decreto concilij Nicæni assentiens, episcopatu abdicatur. Verum quidam prædicant, alias causas parum honestas eius abdicationis extitisse: non tamen eas palam percensent. Est enim hoc Episcopis in more positum, ut eos, qui abdicantur, accusent, impios pronuncient, causas tamen impietatis minime adiungant. Quod autem episcopi Eustathium, ut improbæ Sabellij doctrinæ deditum, dignitatis gradu dimouerant, Cyro Berrensi episcopo eum in crimen illud vocante, Georgius Laodiceæ, quæ est in Syria episcopus, vnus ex eorum numero, qui Consubstantiale detestantur, se in laudatione Eusebij Emiseni dixisse, scribit. De isto Eusebio Emiseno alius erit mihi locus commemorandi. Georgius scribit Eustathium, utpote Sabellij sectæ addictum, à Cyro accusatum: & rursus, Cyrum eiusdem erroris conuictum, de gradu deiectum, narrat. At qui fieri potest, ut Cyrus, cum labe erroris Sabelliani ipse aspersus esset, Eustathium utpote eadem infectum, in iudicium adduceret? Proinde Eustathius, ut videtur, aliis de causis episcopatu abdicatus est. Eodem tempore, Antiochiæ grauis seditio de eius abdicatione orta. Ac postea sæpe de episcopo deligendo tanta contentionis flamma incendebatur, ut parum abesset, quin vniuersam ciuitatem euertisset, populo in duas factiones diuiso: quarum altera Eusebium cognomento Paphilum Cæsarea Palaestina Antiochiam transferre obnixè

contendit: Altera Eustathium denuo reducere magnopere laborauit. Commune ciuitatis concilium, partim huic, partim illi factioni subsidio fuit. Militum praesidiariorum turba, ipsa contra se, tanquam contra hostes concitata est, adeo ut gladios in se mutuo distinxissent, nisi Deus, & metus ab Imperatore illis iniectus, multitudinis impetum repressisset. Nam Imperator per literas tumultum exortum, & conflatas seditiones penitus sedauit. Eusebius autem eorum episcopus fieri reuult: ac propterea imperator illum magnopere commendauit. Qua de re literas ad illum scripsit, in quibus eius institutum admodum laudauit: beatum appellat, quod illum non vnus ciuitatis, sed totius fere orbis terrarum episcopatu dignum, omnes vno ore praedicarunt.

Octo igitur annos cōtinuos sedes Antiochena dicitur episcopo caruisse. Sero tandem eorum studio & labore, qui fidem in Concilio Nicæno confirmatam euertere nitebantur, Euphronius episcopus designatus est. Sed de Concilio Antiochiæ propter Eustathium conuocato, satis multa diximus.

*De presbytero qui Arium reuocare curauit, & quomodo Arius Imperatori libello pœnitentiæ oblato, fidem Nicæni concilij per simulationem calculo suo comprobauerit.*

## C A P. XIX.

Statim post, Eusebius, qui iam pridem episcopatum Beryti reliquerat, & id tēporis ecclesiæ Nicomedensi praerat, vna cum suis fautoribus pro viribus laborauit, ut Arium Alexandriam reduceret. Verum qua ratione istud effecerint, & quo pacto Imperator persuasus sit, ut Arium, & Eusoium pariter in ipsius conspectum venire pateretur, hoc loco dicendum arbitror. Imperator sororem habuit nomine Constantiam. Ista vxor fuit Liciunij, qui primum cum Constantino Imperij particeps fuit: deinde tyrannidem exercuit: qua de causa ad extremum trucidatus est. Huic Constantiæ cum presbytero quodam sectæ Arianae dedita magna intercedebat familiaritas: eum sibi intimum habuit. Ille tum Eusebij & necessariorum eius impulsu, sermonem

cum

## SOCRATIS HISTORIAE

cum muliere de Ario habuit: ei à Synodo iniuriam factam esse dicit: illum non ita sentire, sicut fama de eo loquebatur. Quæ cum audiisset Constantia, presbytero fidem adhibuit illa quidem, sed Imperatori dicere neutiquam ausa est. Constantia forte fortuna in grauem morbum delabitur. Imperator percrebro eam ægotantem inuisit. Cùm autem mulier morbo tam acerbè affligeretur, vt nihil præter mortem exspectaret, Imperatori commendat presbyterum, eius studiũ, pietatem, & beneuolentiam erga Imperium prædicat. Illam paulo post mors occupat. Presbyter in intimis Imperatoris habetur. Ac pedetentim plus authoritatis consecutus, eundem sermonem de Ario refert ad imperatorem, quem cum eius sorore antea contulerat: Arium scilicet, nõ in alia sententia esse, quàm quæ fuisset à Concilio confirmata: & si in eius conspectum venire permetteretur, concilij decretis plane assensurum, atque eum sine causa insimulatum fuisse. Noua admodum & peregrina videbantur Imperatori, quæ erant à presbytero commemorata. Ille igitur, si (inquit) Arius cum Concilio consentiat, & in eadem sententia sit, non modò eum in conspectum meum venire patiar, verùm etiam honorificè Alexandriam dimittam. Hæc locutus, confestim ad illum scripsit his verbis.

### *Epistola Constantini ad Arium.*

*Victor Constantinus, Maximus,  
Augustus.*

**I**amdudum tuæ grauitati significatum est, vt ad mea castra venires, quo posses nostro aspectu frui. Vnde vix satis mirari possumus, cur hoc abs te non extemplo factum fuerit. Iam igitur publico curru conscenso, nostra castra adire propera, vt nostram benignitatem & studium erga te expertus, in patriam redire queas. Deus te conseruet Charissime. Data, ad quintum Calend. Decembris. Iltam quidem Imperator ad Arium scripsit epistola. Me proinde incredibile studium & amorem, quo aduersus pietatem flagrabat Imperator, intuentem, permagna certe capit admiratio. Nam ex epistola videtur constare, Arium ab Impe-

Imperatore sæpissimè admonitum, vti resipisceret : & pro-  
 pterea ab illo iam repræhensum, quod crebro per eius lite-  
 ras prouocatus, ad veritatem ilico non rediisset. Arius i-  
 gitur paulo postquam literas Imperatoris acceperat, Con-  
 stantinopolim aduentat. Illum Euzoius (quem Alexander,  
 cum esset diaconus, eodem tempore, quo cæteros Aria-  
 nos abdicauerat, gradu deijciebat) eo comitatus est. Im-  
 perator illos suo dignatur aspectu : rogat, vtrùm fidei Con-  
 cilij Nicæni assentirent. Cui cum ab se assensum esse re-  
 sponderent, Imperator iubet, vt absque mora fidem suam  
 scriptis mandarent. Illi libellum conficiunt : afferunt Im-  
 peratori : qui quidem scriptus erat ad hunc modum.

Religiosissimo, Sanctissimoq; domino nostro Impera-  
 tori Constantino, Arius & Euzoius. Nos quidem, si-  
 cut tua singularis erga Deum pietas, domine Imperator, in  
 mandatis dedit, fidem nostram scriptis prodidimus, & de  
 Deo cum ipsi, tum cæteri, qui nobiscum sunt, ita credere  
 confitemur. Vt sequitur.

Credimus in vnum Deum, Patrem omnipotentem : &  
 in Dominum Iesum Christum filium eius, ex ipso ante o-  
 mnia secula genitum Deum verbum, per quem omnia fa-  
 cta sunt, cum quæ in cælis, tum quæ in terris : qui de-  
 scendit & incarnatus est, & passus est, & resurrexit, & a-  
 scendit ad cælos, & iterum venturus est iudicare viuos &  
 mortuos. Et in Spiritum sanctum, in carnis resurrectio-  
 nem, in vitam futuri seculi, in regnum cælorum, in v-  
 nam Catholicam Ecclesiam Dei, ab vna orbis terrarum o-  
 ra ad alteram vsque se porrigentem. Hanc fidem à sa-  
 cro sanctis euangelij accepimus, ipso Domino suis di-  
 scipulis dicente : Euntes, docete omnes gentes, bapti-  
 zantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti :  
 sicut vniuersa Catholica Ecclesia & scripturæ docent : qui-  
 bus quidem omnino fidem adhibemus. Iudex noster Deus  
 est, & in præsentia, & in futuro iudicio. Quapropter tuam  
 pietatem obsecramus, Imperator sanctissime, vt quum vi-  
 ri ecclesiastici simus, & fidem, & sensum, cum Eccle-  
 siæ, tum sacrarum scripturarum teneamus, nos pro tua  
 sanctimonia, quæ & paci sedulo studere, & Deum au-  
 gustè venerari solet omnibus controuersis, & inanibus  
 argutijs

Matt. 28



## SOCRATIS HISTORIAE

argutiis sublatis, matri nostræ, ecclesiæ scilicet, adiungas: Vti & nos, & ecclesia tranquillè vitâ degentes inter nos tuo, pro pacato & pio regni tui statu, & pro vniuerso hominû genere, omnes communiter cõsuetas preces peragamus.

*Arius Imperatoris mandato Alexandriam reuertitur, qui cum ab Athanasio non esset admissus, Eusebius eiusq; complices, varia contra eum crimina apud Imperatorem contextuerunt, propter quæ, Tyri, episcoporum Synodum iussit cõuocari.*

C A P. X X.

**A**D eum modum, quem diximus, cum Arius Imperatori persuasisset, Alexandria reuertitur. Sed tamen hoc commento veritatem, quam tacitus occultauerat, minime poterat obruere. Nam Athanasius eum Alexandria reuersum in ecclesiam recipere noluit. Illum enim, vt scelus detestatus est, Arius nihilominus errorem suum ex occulto disseminans, Alexandria ad seditionem concitare molitur. Quo quidem tempore Eusebius, cum ipse ad Athanasium scripsit, tum Imperatorem ad scribendum impulit, vt Arius cum suis reciperetur. Athanasius tamen eos in ecclesiam admittere omnino recusauit: Imperatoremq; per literas docuit, fieri non posse, vt illi, qui fidem irritam fecissent, quibusque Anathema esset ab ecclesia denuntiatum, tanquam postliminio redeuntes, gradum suum recuperarent. Imperator rem iniquo animo & grauius ferens, per literas Athanasio interminatus est, his verbis. Cum concilij & voluntatis meæ rationem acceperis, fac omnibus in ecclesiam, ingredi cupientibus liberum aditum præbeas. Nam si intellexero quemquam, qui ecclesiæ particeps fieri cupiat, vel impeditum abs te esse, vel introitu prohibitum, mittam illico aliquem è meis, qui mādato meo te de gradu dimoueat, locumq; tuum alteri tribuat. Ista scripsit Imperator, cum vt ecclesiæ commodo inferuïret, tum vt consilio prouideret, ne eius concordia dirimeretur. Proinde iam tum Eusebius graui odio aduersus Athanasium inflammatus, valde opportunum tempus sibi ad id quod conabatur, oblatum putabat (habuit enim offensum Imperatoris animum eius instituto admo-

admodum inferuentem) & propterea, tumultuose laborabat, ut Athanasium de episcopatus dignitate deturbaret. Sic enim sperabat fore, si Athanasius de medio remoueretur, ut Arii regnaret opinio. Quare contra illum pariter, quasi aciem instruunt. Eusebius, episcopus Nicomediae: Theognis, Nicææ: Maris, Chalcedonis: Vrsacius, Singidonis, vrbis superioris Pannoniæ: & Valens Murforum, ciuitatis etiam Pannoniæ. Isti quosdam è secta Melitiana mercede conducunt, & varia cirmina Athanasio obijcienda curant. Ac primum per Eufionem, Eudemonem, & Callinicum, Melitianos, criminationem confingunt, quòd Athanasius præcepisset Aegyptiis, ut vestem lineam ecclesiæ Alexandrinæ pro tributo pensitarent. Sed hoc falsum crimen in Athanasium coniectum, Alypius & Macarius, presbyteri ecclesiæ Alexandrinæ, qui tum forte fortuna Nicomediæ erant, prorsus restinxerunt: Imperatoremq; docuerunt, ea, quæ contra Athanasium allata fuissent, perspicuè falsa esse. Quapropter Imperator per literas eius accusatores grauius reprehendit: rogat Athanasium, ut ad se veniat. Verùm Eusebius cum suis prius quàm aduentarat, alterum crimen priori attexit, idq; priore multo grauius: Athanasium scilicet Imperatoris edictis per insidias obsistere molientem. Phylumeno cuidam Scrinium auro refertum misisse. Sed cum Imperator Psamathiæ (est quidem hoc Suburbium Nicomediæ) de isto crimine cognouisset, Athanasiumque innocentem comperisset, honorificè dimittit, atque adeo Ecclesiæ Alexandrinæ scribit, eorum episcopum falso in crimen fuisse vocatum. Cæterùm quæ criminum genera Eusebius cum suis contra Athanasium, postea commenti fuerint, honestum, rationiq; consentaneum arbitror, silètio præterire, ne Christi Ecclesia ab his, quorum animi à Christi fide & religione penitus auersi sunt, vlla labe notetur infamiæ. Nam quæ literis prodita sunt, omnibus perspecta & cognita esse solent, atque ob hanc causam verbis quàm paucissimis ea necessariò complectenda putauit, quæ separatam tractationem desiderant. Sed tamen ex quo fonte falsæ istæ criminationes profluxerint, & vnde initium sumpserint hi, qui easdem contexuere, breuiter à me dicendum censeo.

Marcotes est regio Alexandriae subiecta, sunt in illa pagi  
 E permulti

## SOCRATIS HISTORIAE

permulti, multisq; hominibus frequentati: inq; eisdem cõ-  
 plures sunt ecclesiæ, eæque illustres: quæ quidem episcopo  
 obsequuntur Alexandriae, & in illius ciuitatis ditione ac  
 potestate sunt. In ista regione Ischyras quidam (sic enim  
 appellatus est) facinus, quod multis mortis generibus mul-  
 ctandum fuerat, ex occulto aggressus est. Nam cum nun-  
 quam sacris fuisset initiatus, presbyteri nomen ipse sibi im-  
 posuit, sacerdotisq; munera obire ausus est. In quo quidem  
 facinore depræhensus, clam fugam capessit: & recta Nico-  
 mediam profectus, ad Eusebium, tanquam ad profugium se  
 confert. Ille præ odio, quo in Athanasium incendebatur,  
 eum ut presbyterum recipit: ei episcopatus dignitatem, mo-  
 dò crimen Athanasio inferret, pollicetur: ea quæ ab Ischy-  
 ra falso confingebantur, tanquam ansam arripit ad Athana-  
 sium calumniandum. Nam rumorem dissipauit Ischyras,  
 impetum clam in se factum esse, & nihil non contumelia-  
 rum perpeffum, & Macarium in altare insultasse, mensam  
 domini euertisse, poculum mysticum confregisse, sacrosan-  
 ctos scripturæ libros combussisse. Mercedem igitur, ut di-  
 xi, accusationis, episcopatum promisit: pro certo persua-  
 sus, crimen contra Macarium allatum satis valere, non  
 modò ad Macarium, qui accusabatur, sed etiam ad A-  
 thanasium, qui illum eo miserat, gradu penitus deiiciendū.  
 Hæc criminatio paulò post illi intentata est. Antea verò  
 alteram odio & maleuolentia refertissimam in eum com-  
 menta est factio Eusebiana: de qua hoc loco dicam. Ma-  
 num hominis, vnde haud equidem scio, nacti sunt: homi-  
 nem ne interfecerint, eiusq; amputarint manum, an manum  
 mortui alicuius absciderint, Deus solum nouit, & autho-  
 res facinoris: hanc tamen Arsenij nomine episcopi, ex se-  
 cta Melitiana proferunt, eiusque manum esse prædicant: i-  
 psam adducunt in medium, Arsenium occultant. Ista ma-  
 nu Athanasium ad magicas præstigias vsum fuisse dicunt.  
 Et quanquam caput criminationis, quam hi calumniatores  
 contra Athanasium confixerant, eiusmodi fuit, tamen ut  
 in tali causa vsu venire solet, alij alia illi obiecere. Nam  
 qui graui odio aduersus illum exardescabant, iam tum vel  
 maximè illum insidiosè adorti sunt. Imperator de iis re-  
 bus certior factus, ad Censorem Dalmatium, sororis fi-  
 lium,

lium, id temporis Antiochiæ Syriae commorantem literas dedit, ut eos, qui in crimen vocati essent, sistendos curaret: causam cognosceret: criminis convictos, supplicio afficeret. Misit eo Eusebium & Theognidem, ut coram illis de Athanasio iudicium fieret. Iste, ut intellexerat se à Censore accersitum, mittit in Aegyptum quæsitum Arsenium. Acceperat enim illum in occulto latitare. Eum verò locum subinde commutantem comprehendere non poterat. Interea loci Imperator iudicium, quod de Athanasio coram Censore fieret, tali de causa sustulit. Concilium Episcoporum ad templum, quod Ierosolymis ædificauerat, consecrandum conuocat. Episcopis autem, qui erant antea Tyri coacti, mandatum dedit Imperator, ut iudicium de Athanasio obiter exercerent, quo ibi contentione prorsus iam ante è medio sublata, maiore cum animorum tranquillitate festum consecrandæ Ecclesiæ celebrarent, eamque Deo dedicarent. Trigesimus iam agebatur annus regni Constantini. Tyrum Episcopi numero sexaginta Dionysii viri consularis accersitu aduentauerant. Macarius presbyter Alexandria vinculis ferreis constrictus, à militibus eo adductus est. Athanasius autem Tyrum accedere noluit, non tam criminæ obiecta veritus (nullius enim eorum, quæ ipsi erant illata, conscius fuit) quam admodum reformidans, ne quid illic noui contra Concilii Nicæni decreta decideretur. Sed quoniam minaces literæ Imperatoris eius animo non parum timoris iniecerant (ad illum namque scripserat, si non sua sponte vellet accedere, vi eo deductum fore) ad Concilium aduentat necessario.

*De Arsenio & brachio eius, quod amputatum ferebatur, & quòd cum post accusationem Athanasius innocens inueniretur, accusatores eius in fugam se coniecerunt, quodq; in secunda Athanasij criminatione, cum defensionem eius episcopi non admitterent, ipse ad Imperatorem recurrebat, cum tamen Synodus nihilominus de deponendo illo sententiam tulerat.*

**F**Actum est diuina prouidentia, vt Arsenius etiam Tyrū aduentaret. Nam neglectis mandatis, quę calūniatores, qui ei pecunias largiti fuerant, dedissent, ex occulto ad res, quę ibi gererentur, cognoscendas accedit. Euenit, vt famuli Archelai, viri consularis, in taberna ex quorūdam sermone intelligerent, Arsenium, quem rumor erat interfectum fuisse, illic in hominis cuiusdam œdibus clam delitescere. Quę cum accepissent, eosq; qui narrabant, diligenter notaissent, ea quę audiuerant, ad dominum suum referunt. Ille extemplo, omni abiecta cunctatione, hominem conquirat, conquisitum inuenit, inuentum in loco tuto concludit. Athanasio significat, vt bono animo sit. Viuum enim Arsenium eo aduentasse. Arsenius igitur compræhensus, negat se esse, qui erat. Verū Paulus, Tyri episcopus, qui eū iam olim cognouerat, perspicuē Arsenium esse conuincit. His rebus diuina prouidentia rite, commodeq; constitutis, Athanasius non multo post à Concilio accersitur. Quo præfente, Calumniatores manum in medium afferunt: crimē illi obiectant. Ille causam suam agit sapiēter. Nam tum alios qui aderant, tum ipsos accusatores rogat, si qui eorum forte Arsenium noscerent. Cum pleriq; se eum noscere responderēt Arsenium, manibus subter Pallium occultatis, introducendum curat. Tum ab illis denuo sciscitatur: Estne hic Arsenius, qui manum amiserit? vnde ex illis qui aderant, solum exceptis iis, qui norant, vnde manus esset amputata, Alij propter incredibilem rei euentum obstupuerunt: Alij manum Arsenio reuera deesse putauerunt: expectaruntque aliam rationem ab Athanasio allatā fore, qua se defenderet. At ille pallio Arsenij retro paululum depulso, ex altero latere hominis manum ostendit. Rursus. Cum quidam adhuc suspicarentur, eum altera manu orbatum, Primo Athanasius aliquantulum se retrahens, illorum animos suspensos reddidit. Deinde absque mora, altera pallij parte retro depulsa, alteram Arsenij manum ostendit: sicq; eos, qui aderant, affatur. Arsenius, vt videtis, duas manus habere cernitur: Locum autem vnde tertia amputata sit, accusatores nobis,

nobis, quæso, commonstrent. His rebus hoc modo de Arsenio confectis, qui dolum contexuerant, non habebant, quo se verterent. Achaab, qui alio nomine Iannes appellatus erat, accusator Athanasii foro iudiciali elapsus, in ipso tumultu clam se fugæ mandavit. Hoc pacto Athanasius, istam accusationem, nulla exceptione usus, euitavit. Nam non dubitavit, quin sola Arsenii vita ita stupore esset calumniatores oppressura, ut profus succumberent. Verum in calumniis contra Macarium illatis diluendis, exceptionibus, quas leges præscribunt, usus est. Ac primum. Eusebius cum suis ut hostes reijcit: non debere iudicium ab aduersario exerceri ait. Deinde ostendi postulat, utrum Ischyas accusator presbyteri gradum, ac dignitatem (nam ita in accusatione scriptum erat) verè obtinuisset. At à iudicibus istarum rerum nulla cura ducitur: Lis intenditur Macario. Verum cum accusatorum vires fere languescerent, causæ cognitio differtur: eo quidem concilio, ut certi homines in Mareotem proficiscerentur, inq; eo loco, de rebus controuersis disceptarent. Athanasius autem, ut primum eos, quos reiecerat, missos vidit (mittebantur quidè Theognis, Maris, Theodorus, Macedonius, Valens, Vrsacius,) clamat causam fallacis, & dolo malo agi: Iniquum enim esse, ut Macarius presbyter in vinculis teneretur constrictus, eius autem accusator cum iudicibus illi omnino infestis versaretur: idq; non alia de causa, quàm ut ex vna parte solum rerum in iudicio agendarum commentarii conficerentur. Cùm ista vociferatus fuisset Athanasius, & tum concilium conuocatum, tum Dionysium consularem esset contestatus, nemoq; esset, qui illi animum attenderet, se clam inde subduxit. Qui autem in Mareotem missi erant, ex vna parte solum commentarios conficiunt, earum rerum, quas accusator retulerat, quasi reuera gestæ fuissent. Vbi Athanasius inde profectus, recta ad Imperatorem se contulerat, primum à concilio indicta causa condemnatur. Deinde simul atque ea, quæ in Mareote gestæ erant, cum his vna concurrerant abdicatio illi decernitur: multa probra in causis abdicacionis referendis contumeliosè obijciuntur. De calumniatoribus, quo pacto inuidia adducti, illum falso accusauissent, turpiterq; essent conuicti, penitus siletur. Arsenius,

## SOCRATIS HISTORIAE

nus, qui è medio dicebatur sublatus, ab illis recipitur. Qui quidem antea Episcopus sectæ Melitianæ fuit: at iam tum Athanasii abdicationi, vt Episcopus Hypsepolitano- rum subscripsit. Et quod dictu est prope incredibile, cui ab Athanasio ferebatur illata mors, hic viuus Athanasium abdicat.

*Quomodo Synodus relicto Tyro Hierosolyma com-  
migrauerit, vbi nouæ Hierusalem encenijs cele-  
bratis, Arii fautores in communionem admi-  
serint, quodq; Imperator, Synodum ad se accer-  
sendam per Epistolam curauit, vt ipse quæ A-  
thanasio obiectarentur, accuratius examinaret.*

### CAP. XXII.

**P**OST has res gestas, extemplo literæ Imperatoris af- feruntur, quæ significabant, vt concilium maturè se Ie- rosolymam reciperet. Itaque Episcopi nulla interpo- sita mora, Tyro Hierosolymam propere iter faciunt. So- lemne festum ob locorum illorum consecrationem cele- bratur. Arius, cum suis in ecclesiam recipitur. Nam di- cebatur ab Episcopis, se in ea re literis Imperatoris obtem- perasse, quibus illis significauerat se fidem Arii, & Eusoiij penitus perspectam habere. Quinetiam ab Episcopis literæ Ecclesiæ Alexandriae dabantur, vt omni inuidiæ flamma extincta res suas pacatè & tranquillè administra- ret. Referebatur item Arium erroris sui se pœnituisse, veritatem agnouisse, de cætero Ecclesiæ velle adhærere: & propterea ab ipsis meritò receptum esse: Athanasium au- tem communi consensu relegatum. De eisdem rebus e- tiam ipsum Imperatorem certiozem faciunt. Dum hæc ab Episcopis geruntur, continuò aliæ literæ ab Imperato- re ad illos missæ erant, quibus significabatur, Athanasium ad ipsum Imperatorem confugisse: illosq; eius causa Con- stantinopolim debere accedere necessario. Literæ Impera- toris quæ missæ erant, sic se habent,

*Victor*

*Victor Constantinus, Maximus, Augustus,  
Episcopis qui Tyri conue-  
nerant, S.*

Q Vanquam equidem nescio, cuius generis sint ea, quæ  
 à vestro Concilio, non sine tumultu, & magna con-  
 tentionum procella decreta sunt: ipsa tamen veritas  
 turbulenta quadam animorum vestrorum concitatione vi-  
 detur quodammodo esse labefactata. Nam vos, dum si-  
 multatem, quam nullo modo vultis deponere, mutuo in-  
 ter vos exercetis, ea quæ veritatem attingunt, quæque Deo  
 grata acceptaque sunt, omnino negligitis. Verùm diuina  
 prouidentia perfectum iri spero, vt tum huius contentio-  
 nis lues perspicuè depræhensa prorsus dissipetur, tum no-  
 bis planum fiat, vos ne, qui ibi in vnum conuenistis, vllam  
 veritatis curam duxeritis, deque rebus in disceptationem  
 vocatis, neque gratia alicuius, neque odio adducti, senten-  
 tiam pronunciaueritis. Quapropter opus est, vt omnes  
 vos, ad me propere accedatis, quo ratio rerum à vobis ge-  
 starum per vos ipsos accuratè reddatur. Quid verò cau-  
 sâ sit, cur hæc ad vos scribenda putarim, vosque ad me per  
 literas accersuerim, ex illis quæ sequuntur, intelligeris.  
 Mihi quidem ad locum quendam vrbs Constantinopo-  
 lis, quæ à meo nomine nomen accepit, quæque omnino  
 beatissima patria est, proficiscenti (contigerat quidem id  
 temporis me in equo vehi) Athanasius in media platea,  
 cum quibusdam aliis, quos circa se habebat, adeò subito  
 & præter omnem expectationem sit obuiam, vt ipse profe-  
 cto propterea obstupescerem. Ac Deum testor, qui res  
 contuetur vniuersas, me primo aspectu, quisnam esset, neu-  
 tiquam potuisse cognoscere, nisi quidam ex nostro comi-  
 tatu, tum quis esset, tum quam iniuriam accepisset, nobis vt  
 par erat illis rebus, quas retulerunt, auscultantibus, manife-  
 stò declarassent. Ego tamen id temporis neq; sum cum illo  
 locutus, neque sermonem contuli. Et cum ille rogabat, vt  
 à me audiretur, egoque non modò recusabam, sed etiam  
 parum aberat, quin eum acerbius tractatum, omnino abigen-  
 dum præcepissem, ille vehemētius à nobis nihil postulabat,



SOCRATIS HISTORIAE

quàm vt vos eo accederetis, quo nobis præsentibus de iniuria quam passus fuerat, necessitate coactus posset postulare. Quod quidem cum & mihi consentaneum rationi videretur, & tempora idem ipsum postulerent, non inuitus equidem ista ad vos perscribenda curavi, vt omnes, qui ad Concilium Tyri coactum conuenistis, è vestigio ad castra nostra maturaretis, reque ipsa vestrum iudicium æquum, sincerumque; commonstraretis, me audiente, quem ingenuum Dei famulum esse, vos ipsi non inficias iueritis. Nam mea religiosa erga Deum obseruantia, pax vbique viget, et nomen Dei, ab ipsis Barbaris, qui ad hoc tempus vsque veritatem ignorarunt, sanctè ingenuumque; extollitur. Ac constat inter omnes, eum qui veritatem ignorat, ipsum Deum quoque; ignorare. Attamen Barbari mea opera, qui ingenuus scilicet Dei famulus sum, sicut ante dictum est, ad Dei notitiam venerunt, eumque; sanctè colere didicerunt: quem quidem me in omnibus locis defendere, reque; vera mihi benignè prouidere animaduertunt. Qua de causa, in primis Deum cognoscere ceperunt: quem etiam nostri Imperii metu inducti, religiose colunt illi quidem, sed nos, qui sancta ecclesie illius mysteria propugnare videri volumus, (non enim dicam obseruare) nos inquam, nullas alias res molimur, quàm eas quæ discordiam & odium pariant, & in summa, quæ ad exitium humani generis spectent. Sed facite ad nos celerrime, vt dixi, accedatis: hoc pro certo persuasum habentes, nos omnibus viribus laboraturos, vt quæ sacro Dei eloquio continentur, ea in primis integre, incorrupteque conseruentur. Quibus quidem, nulla ignominie infamiaeue nota omnino iniuri possit, dissipatis, protrititis, ac penitus extinctis religionis Christianae hostibus, qui simulatione Sacrosancti Christi nominis, varias ac diuersas blasphemias in ecclesiam inuexerunt.

*Quod Synodus ad Imperatorem, cum non venisset, Eusebius ac reliqui eiusdem farinae, calumniam Athanasio intentabant, quod ipse frumentum quod ex vrbe Alexandrina Constantinopoli suppeditari consueuerat, auersurum se interminatus*

*natus sit: hinc ira percitus Imperator, eiectum  
in exilium Athanasium, Gallias habitare man-  
davit.* CAP. XXIII.

**I**stæ literæ eos, qui aderant in Concilio, in graue certamē  
coniecerunt. Qua de re complureis ad suas ipsorum ci-  
uitates reuerterunt: Sed Eusebius, Theognis, Maris, Pa-  
trophylus, Ursacius, Valens, Constantinopolim veniunt:  
neque de poculo confracto, aut de mensa euerfa, aut de Ar-  
senio interfecto amplius queri permittunt, sed ad aliud cri-  
men confugiunt: Impetatores docent, Athanasium mina-  
tum se vetitum, quo minus frumentum, vt solet, Alexan-  
dria Constantinopolim vsque adueheretur: istaque Ada-  
mantium, Annubionem, Arbathionem, & Petrum episco-  
pos, ex ipso Athanasio audiuisse. Verum tum certe accusa-  
tio valere solet, cum accusator talis sit, quali meritò fides tri-  
buatur. Imperator igitur hac re vehementer incitatus, &  
quasi graui iracundiæ flamma incensus, Athanasium eicit  
in exilium: Galliam incolere iubet. Fertur à quibusdam,  
Imperatorem istud eo consilio effecisse, vti ecclesia ad con-  
cordiam reduceretur: quandoquidem Athanasius cum A-  
rianis communicare omnino recusauit: qui exilio multa-  
tus, Triueri, vrbi galliæ ætatem ad tempus degit.

*De Marcello Ancyrae episcopo, & Asterio  
sophista.* CAP. XXIIII.

**E**piscopi, qui id temporis Constantinopoli congregati  
erant, Marcellum etiam episcopum Ancyrae, vrbis quæ  
est in parua Galatia, tali de causa episcopatu abdicarunt.  
Asterius quidam, qui in Cappadocia literas humanio-  
res docuisset, illis derelictis, Christi fidem profiteri cœpit.  
Libros scribere aggressus est, qui ad hodiernum diem ho-  
minum habentur in manibus: illorum autem testimoniis  
Arij dogma confirmatur, Christum videlicet eodem modo  
virtutem Dei esse, sicut apud Moysen dicitur, locustam, &  
brucum virtutem Dei esse, & alia his similia. Afsiduè cum  
episcopis, illisq; potissimum, à quibus Arij opinio minimè  
reiecta erat, versabatur Asterius, atque adeo ad eorum con-  
uentus accedebat, magno desiderio flagrans, ad episcopatū

SOCRATIS HISTORIAE

alicuius ciuitatis arrendi. Cæterum quoniam tempore persecutionis sacrificauerat idolis, ne ad sacerdotis quidem munus obeundum admissus est. Per vrbes Syriæ undique vagatur, libros, quos confecerat, ostendit. Marcellus autem de his certior factus, dum Asterio ex aduerso se opponere volebat, in contrarium omnino errorem ipse delapsus est. Nam Christum, sicut Paulus Samosatenus, solum hominem esse non dubitauit asserere. Quæ cum episcopi Hierosolymis conuocati intellexissent, Asterij nullam rationem duxerunt, quandoquidem in numerum sacerdotum non erat ascriptus, sed à Marcello, vtpote sacris initiato, libri ab eo conscripti rationem poposcerunt. Vt primum compererant, eum eandem cum Paulo Samosateno opinionem tueri, præceperunt, vt mutaret sententiam. Ille ad pudendum inductus, librum se combusturum promittit. Vbi verò Concilium cum festinatione dimissum erat (Imperator enim Episcopos Constantinopolim accersuerat) tandem de Marcelli causa Constantinopoli coram Eusebio, & aliis episcopis, qui cum eo erant, denuò disceptatum est. Simul atque verò Marcellus recusauerat, sicut erat ante pollicitus, librum illum tam inconsideratè scriptum comburere, episcopi qui aderant, eum de gradu episcopatus deiciunt. Basilium eius loco Ancyram mittunt. Quinetiam librum eius Eusebius tribus libris confutat, peruersamque eius coarguit opinionem. Marcellus postea in Concilio Sardicensi, cum librum à se æditum, ne utiquam intellectum esse, & ob eam causam, se in suspicionem vocatum, quod cum Paulo Samosateno sentiret, episcopatum recuperauit. Sed quid nos de isto auguremur, dicemus suo loco.

*Quòd Arius missio iam in exilium Athanasio, cum Alexandria ab Imperatore accersiretur, turbas aduersus Alexandrum Constantinopolis Episcopum concitauit, deq; sædisima Arii morte.*

CAPVT XXV.

Dum

**D**V M hæc geruntur, trigefimus annus regni Constantini ad exitum venit. Arius cum suis Alexandriam reuersus, eam ciuitatem vniuersam de integro in magnas turbas coniecit. Populus Alexandrinus acerbè & grauius tulit, tum quod Arius cum suis redierat, tum quod significatum erat, Athanasium suum Episcopum in exilium eiectum esse. Vbi autem Imperator acceperat de peruersa Arii mente & instituto, eum denuò Constantinopolim accersi iubet, rationem de tumultu & seditione, quam concitare aggressus erat, redditurum. Per idem tempus Alexander, qui iam pridem Metrophani in episcopatu Constantinopolitano successerat, illi Ecclesiæ adhuc præfuit. Iste in ea dimicatione tum contra Arium suscepta, se virum valde pium & religiosum ostendit. Nam cum Arius venisset, & populus esset in duas factiones diuisus, tumultusque in vrbe exortus, dum alij fidem in Concilio Nicæno confirmatam, ratam stabilemque manere, alij Arii opinionem rationi consentaneam congruentemque asseuerabant, Alexander in graue certamen deuenit: idque maximè, quod Eusebius, Nicomedie Episcopus, sæpe & grauius illi interminatus fuisset, se quamprimum eum episcopatu abdicaturum, si non Arium cum suis in communionem reciperet. At Alexander, non tantum de abdicatione laborabat, quantum de doctrina Concilij Nicæni, quam omni cura ac studio euertere contendebant. Nam cum se patronum decretorum illius Concilij duceret, omnibus viribus sibi enitendum censuit, ne illius formulæ & præscripta vilo modo labefactarentur. In hac igitur concertatione constitutus, dialecticæ argutias penitus missas facit, ad Dei auxilium confugit: in ieiuniis assiduis se attentè defigit, nullam præcandi formam prætermittit: tale denique obsequij genus studiosè amplexatur. Itaque in Ecclesiam, quæ pacis nomine nuncupata est, se solum occludens, ea quæ sibi videbantur conuenientia, peregit: ad altare progressus, humi coram sacra mensa se in faciem prostravit: cum lachrymis Deum orauit: permultas noctes, diesque continuas, in iis rebus versatus est. Nam à Deo opem postulauit: postulationis compos factus est.

Postu-

SOCRATIS HISTORIAE

Postulatio autem talis fuit. O Deus inquit largire, vt si Arii opinio vera est, ipse diem disceptationi praestitutam nequiquam videam: sin autem fides, quam ego teneo, vera est, Arius omnium istorum malorum author, debitas suae impietatis poenas luat. Hoc modo praecatus est Alexander. Imperator autem opinionis Arii periculum facere cupiens, illum ad palatium suum accersit: rogat, vtrum concilij Niceni decretis consentiret. Ille sine mora alacri, & prompto animo coram Imperatore subscribit, cum tamen ea, quae in concilio de fide decisa erant, astute & veteratoriè ludificatus sit. Imperator hoc admiratus, illum etiam ad iusiurandum adigit. Ille simulate & fallaciter istud quoque praestitit. Fucata verò ratio, qua ad fraudem in subscribendo vsus sit, sicut ipse audiui, eiusmodi fuit. Arius, suam ipsius opinionem in charta, quam habebat, conscribit: eam sub ala gestat. Iurat se vere, & ex animo sentire, quemadmodum scripserat. Istud ita factum esse, fama solum & auditione accipiens, literis mando. Verum quod Iusiurandum subscriptioni adiciebat, perspicue ex Imperatoris literis colligo. Imperator illi fidem adhibens, dat mandatum Alexandro Episcopo Constantinopolis, vt in communionem recipiatur. Erat tunc dies sabbati: postridie eius diei expectabat Arius se in ecclesiae conuentum & communionem receptum iri. Caeterum in eius audaces, & perditos conatus, est illico vindicatum. Postquam enim aula Imperatoris egressus est, Eusebii fautoribus stipatus, magna cum celebritate & pompa, per mediam urbem incedit. Simul atque forum Constantini (sic enim est appellatum) appropinquauerat, in quo columna ex Porphyrite locata est, timor ex conscientia sceleris exortus Arium opprimit. Cuius vi laxatur aluus: rogat, vtrum latrinae essent in proximo: cum pone forum Constantini vnas esse didicerat, recta eo se confert. Hominem igitur animi defectio occupat: ac simul cum excrementis anus subito delabitur: magna sanguinis copia sequitur: Viscera tenuia pariter effluunt: Sanguis, cum ipso splene, & iecore effunditur: mortem continuo appetit. Latrinae illae ad hoc vsque tempus Constantinopoli, pone forum, vti dixi, Constantini, & Macellum in porticu, cernuntur: omnesque qui illac transeunt, digitum ad locum intendunt, quo commemorabilem

bilem mortis rationem, qua Arius ibi occubuerit, demonstrant. Hac re gesta, ingens terror & exanimatio Eusebianæ factioni incussa est: fama rei non solum per totam ciuitatē, sed etiam per vniuersum prope dixerim, orbem terrarū permanuit. Imperator verò hac ratione fidei Christianæ firmius adhæsit: fidem Concilij Nicæni autoritatē, & nutu diuino, re vera confirmatam asseruit: & propterea illo exitu Arii magnopere lætatus est. Porro autem, ex tribus filiis, summam animo percepit voluptatem, quos singulos ad decimum quemq; imperii sui annum Cæsares renunciauit. Ac maximum natu, quem suo ipsius nomine nuncupauerat Constantinum, decimo anno regni sui, partibus imperii in occidente sitis, præfecit: Secundum, quem aui nomine Constantium appellauerat, vigesimo anno partium imperij ad orientem spectantium Cæsarem declarauit: Tertium, qui minimus natu erat, nomine Cōstantem, trigesimo anno Cæsarem creauit.

*De Imperatoris Constantini funere.*

C A P. X X V I.

**A**Nno post, Imperator Constantinus sexagesimū quintum ætatis suæ annum ingressus, in morbum incidit, Constantinopoli decedens, Helenopolim trajicit, balneis aquarum natura calidarum, quæ ibi sunt in proximo, vsurus. Vbi verò morbo grauius afflictabatur, lauationem balnearum distulit. Helenopoli autem abscedens, Nycomediam recta proficiscitur. Illic in suburbio commoratus, lauacro baptismatis, quod est Christianorum proprium, tingitur. Quo vehementer exhilaratus, testamentum facit: in quo tres filios, heredes imperij instituit, & illis hæreditates, sicut cum integra esset valetudine distribuit: multa præclara monumenta cum Romæ, tum Cōstantinopoli legat: præbytero illi, per quem Arius erat reuocatus (cuius paulo ante fecimus mentionem) testamentum concredit: cui mandat, vt nulli alii, quàm filio suo Constantio, quem Orienti præfecerat, illud in manus daret. Testamento autem composito, & vita ad aliquot dies propagata, mortem oppetit. Nemo ex filiis eius morti interfuit. Proinde nuncius in Orientem Constantio patris mortem significaturus, mittitur.

## SOCRATIS HISTORIAE

tur. Corpus Imperatoris, necessarii ac familiares in loculo aureo condunt: ad Constantinopolim deportant: ibi in palatio altius à terra collocant: magno prosequuntur honore, usque eo, quoad vnus ex filiis aduentaret. Post Constantij ab Oriente aduentum, regio decoratur funere, inq; Ecclesia Apostolorum (sic enim vocabatur) reponitur: quam quidem Ecclesiam ob eam ipsam causam Constantinus aedificauerat, ne Imperatores & sacerdotes Apostolorum reliquiis aliquando destituerentur. Vixit Imperator Constantinus annos sexaginta quinque: triginta vnum regnauit: mortem obiit, Feliciano, & Tatiano Coss.

Ad vndecimum Calend. Iunij: Anno secundo,

Ducentesimæ Septuagesimæ octauæ O-

lympiadis. Iste liber spacium

annorum triginta vnus

complectitur.

*Finis libri primi.*

Deo semper & vbique gloria.